IOANNIS GERHARDI

LOCI THEOLOGICI

CUM PRO ADSTRUENDA VERITATE

TUM PRO DESTRUENDA QUORUMVIS CONTRADICENTIUM FALSITATE

PER THESES NERVOSE SOLIDE ET COPIOSE EXPLICATI.

OPUS PRAECLARISSIMUM

NOVEM TOMIS COMPREHENSUM

DENUO

JUXTA EDITIONEM PRINCIPEM ACCURATE TYPIS EXSCRIBENDUM

CURAVIT

ADJECTIS NOTIS IPSIUS GERHARDI POSTHUMIS A FILIO COLLECTIS

EDITIONIBUS ANN. 1657 ET 1767 COLLATIS

PAGINIS EDITIONIS COTTAE IN MARGINE DILIGENTER NOTATIS

PRAEFATIONEM

INDICES GENERALES POST G. H. MULLERUM ADAUCTOS

AC

VITAM IO. GERHARDI

ADJECIT

ED. PREUSS

DR. PHIL. S. S. THEOLOGIAE EVANGELICAE LICENTIATUS EAMQUE IN UNIVERSITATE LITT. BEROL. PRIV. DOCENS.

BEROLINI.
SUMTIBUS GUST. SCHLAWITZ.
1863.

IOANNIS GERHARDI

LOCI THEOLOGICI

CUM PRO ADSTRUENDA VERITATE

TUM PRO DESTRUENDA QUORUMVIS CONTRADICENTIUM FALSITATE

PER THESES NERVOSE SOLIDE ET COPIOSE EXPLICATI.

OPUS PRAECLARISSIMUM

NOVEM TOMIS COMPREHENSUM

DENUO

JUXTA EDITIONEM PRINCIPEM ACCURATE TYPIS EXSCRIBENDUM

CURAVIT

ADJECTIS NOTIS IPSIUS GERHARDI POSTHUMIS A FILIO COLLECTIS

EDITIONIBUS ANN. 1657 ET 1767 COLLATIS

PAGINIS EDITIONIS COTTAE IN MARGINE DILIGENTER NOTATIS

PRAEFATIONEM

INDICES GENERALES POST G. H. MULLERUM ADAUCTOS

AC

VITAM IO. GERHARDI

ADJECIT

ED. PREUSS

DR. PHIL. S. S. THEOLOGIAE EVANGELICAE LICENTIATUS EAMQUE IN UNIVERSITATE LITT. BEROL. PRIV. DOCENS.

TOMUS SECUNDUS.

BEROLINI.
SUMTIBUS GUST. SCHLAWITZ.
1864.

IOANNIS GERHARDI

LOCI THEOLOGICI

CUM PRO ADSTRUENDA VERITATE

TUM PRO DESTRUENDA QUORUMVIS CONTRADICENTIUM FALSITATE

PER THESES NERVOSE SOLIDE ET COPIOSE EXPLICATI.

OPUS PRAECLARISSIMUM

NOVEM TOMIS COMPREHENSUM

DENUO

JUXTA EDITIONEM PRINCIPEM ACCURATE TYPIS EXSCRIBENDUM

CURAVIT

ADJECTIS NOTIS IPSIUS GERHARDI POSTHUMIS A FILIO COLLECTIS

EDITIONIBUS ANN. 1657 ET 1767 COLLATIS

PAGINIS EDITIONIS COTTAE IN MARGINE DILIGENTER NOTATIS

PRAEFATIONEM

INDICES GENERALES POST G. H. MULLERUM ADAUCTOS

AC

VITAM IO. GERHARDI

ADJECIT

ED. PREUSS

DR. PHIL. S. S. THEOLOGIAE EVANGELICAE LICENTIATUS EAMQUE IN UNIVERSITATE LITT. BEROL. PRIV. DOCENS.

TOMUS TERTIUS.

BEROLINI.

SUMTIBUS GUST. SCHLAWITZ.

1865.

IOANNIS GERHARDI
LOCI THEOLOGICI

CUM PRO ADSTRUENDA VERITATE

TUM PRO DESTRUENDA QUORUMVIS CONTRADICENTIUM FALSITATE

PER THESES NERVOSE SOLIDE ET COPIOSE EXPLICATI.

OPUS PRAECLARISSIMUM

NOVEM TOMIS COMPREHENSUM

DENUO

JUXTA EDITIONEM PRINCIPEM ACCURATE TYPIS EXSCRIBENDUM

CURAVIT

ADJECTIS NOTIS IPSIUS GERHARDI POSTHUMIS A FILIO COLLECTIS

EDITIONIBUS ANN. 1657 ET 1767 COLLATIS

PAGINIS EDITIONIS COTTAE IN MARGINE DILIGENTER NOTATIS

PRAEFATIONEM

INDICES GENERALES POST G. H. MULLERUM ADAUCTOS

AC

VITAM IO. GERHARDI

ADJECIT

ÉD. PREUSS

DR. PHIL. S. S. THEOLOGIAE EVANGELICAE LICENTIATUS EAMQUE IN UNIVERSITATE LITT. BEROL. PRIV. DOCENS.

TOMUS QUARTUS.

BEROLINI.
SUMTIBUS GUST. SCHLAWITZ.
1866.

IOANNIS GERHARDI

LOCI THEOLOGICI

CUM PRO ADSTRUENDA VERITATE

TUM PRO DESTRUENDA QUORUMVIS CONTRADICENTIUM FALSITATE

PER THESES NERVOSE SOLIDE ET COPIOSE EXPLICATI.

OPUS PRAECLARISSIMUM

NOVEM TOMIS COMPREHENSUM

DENUO

JUXTA EDITIONEM PRINCIPEM ACCURATE TYPIS EXSCRIBENDUM

CURAVIT

ADJECTIS NOTIS IPSIUS GERHARDI POSTHUMIS A FILIO COLLECTIS

EDITIONIBUS ANN. 1657 ET 1767 COLLATIS

PAGINIS EDITIONIS COTTAE IN MARGINE DILIGENTER NOTATIS

PRAEFATIONEM

INDICES GENERALES POST G. H. MULLERUM ADAUCTOS

AC

VITAM IO. GERHARDI

ADJECIT

ED. PREUSS

DR. PHIL. S. S. THEOLOGIAE EVANGELICAE LICENTIATUS EAMQUE IN UNIVERSITATE LITT. BEROL. PRIV. DOCENS.

TOMUS QUINTUS.

BEROLINI.
SUMTIBUS GUST. SCHLAWITZ.
1867.

IOANNIS GERHARDI
LOCI THEOLOGICI

CUM PRO ADSTRUENDA VERITATE

TUM PRO DESTRUENDA QUORUMVIS CONTRADICENTIUM FALSITATE

PER THESES NERVOSE SOLIDE ET COPIOSE EXPLICATI.

OPUS PRAECLARISSIMUM

NOVEM TOMIS COMPREHENSUM

DENUO

JUXTA EDITIONEM PRINCIPEM ACCURATE TYPIS EXSCRIBENDUM

CURAVIT

ADJECTIS NOTIS IPSIUS GERHARDI POSTHUMIS A FILIO COLLECTIS

EDITIONIBUS ANN. 1657 ET 1767 COLLATIS

PAGINIS EDITIONIS COTTAE IN MARGINE DILIGENTER NOTATIS

PRAEFATIONEM

INDICES GENERALES POST G. H. MULLERUM ADAUCTOS

AC

VITAM IO. GERHARDI

ADJECIT

ED. PREUSS

DR. PHIL. S. S. THEOLOGIAE EVANGELICAE LICENTIATUS EAMQUE IN UNIVERSITATE LITT. BEROL. PRIV. DOCENS.

TOMUS SEXTUS.

BEROLINI.

SUMTIBUS GUST. SCHLAWITZ.

1868.

IOANNIS GERHARDI

LOCI THEOLOGICI

CUM PRO ADSTRUENDA VERITATE

TUM PRO DESTRUENDA QUORUMVIS CONTRADICENTIUM FALSITATE

PER THESES NERVOSE SOLIDE ET COPIOSE EXPLICATI.

OPUS PRAECLARISSIMUM

NOVEM TOMIS COMPREHENSUM

DENUO

JUXTA EDITIONEM PRINCIPEM ACCURATE TYPIS EXSCRIPTUM

ADJECTIS NOTIS IPSIUS GERHARDI POSTHUMIS A FILIO COLLECTIS

EDITIONIBUS ANN. 1657 ET 1776 COLLATIS

PAGINIS EDITIONIS COTTAE IN MARGINE DILIGENTER NOTATIS

PRAEFATIONE

INDICIBUS GENERALIBUS POST G. H. MULLERUM ADAUCTIS

ADDITA DENIQUE

VITA IO. GERHARDI.

TOMUS SEPTIMUS.

BEROLINI.
SUMTIBUS GUST. SCHLAWITZ.
1869.

IOANNIS GERHARDI

LOCI THEOLOGICI

CUM PRO ADSTRUENDA VERITATE

TUM PRO DESTRUENDA QUORUMVIS CONTRADICENTIUM FALSITATE

PER THESES NERVOSE SOLIDE ET COPIOSE EXPLICATI.

OPUS PRAECLARISSIMUM

NOVEM TOMIS COMPREHENSUM

DENUO

JUXTA EDITIONEM PRINCIPEM ACCURATE TYPIS EXSCRIPTUM

ADJECTIS NOTIS IPSIUS GERHARDI POSTHUMIS A FILIO COLLECTIS

EDITIONIBUS ANN. 1657 ET 1776 COLLATIS

PAGINIS EDITIONIS COTTAE IN MARGINE DILIGENTER NOTATIS

PRAEFATIONE

INDICIBUS GENERALIBUS POST G. H. MULLERUM ADAUCTIS

ADDITA DENIQUE

VITA IO. GERHARDI.

TOMUS OCTAVUS.

BEROLINI.
SUMTIBUS GUST. SCHLAWITZ.
1870.

IOANNIS GERHARDI

LOCI THEOLOGICI

CUM PRO ADSTRUENDA VERITATE

TUM PRO DESTRUENDA QUORUMVIS CONTRADICENTIUM FALSITATE

PER THESES NERVOSE SOLIDE ET COPIOSE EXPLICATI.

OPUS PRAECLARISSIMUM

NOVEM TOMIS COMPREHENSUM

DENUO

JUXTA EDITIONEM PRINCIPEM ACCURATE TYPIS EXSCRIPTUM

ADJECTIS NOTIS IPSIUS GERHARDI POSTHUMIS A FILIO COLLECTIS

EDITIONIBUS ANN. 1657 ET 1776 COLLATIS

PAGINIS EDITIONIS COTTANAE IN MARGINE DILIGENTER NOTATIS

PRAEFATIONE

INDICIBUS GENERALIBUS POST G. H. MULLERUM ADAUCTIS

ADDITA DENIQUE

VITA IO. GERHARDI.

TOMUS NONUS.

LIPSIAE.
J. C. HINRICHS.
1875.

ORDINI THEOLOGORUM ROSTOCHIENSI

SUMME VENERANDO

**O. C. KRABBIO, F. A. PHILIPPIO, J. BACHMANNIO,
A. G. DIECKHOFFIO**

D. D.

VIRIS CLARISSIMIS

NOVAM HANC LOCORUM GERHARDINORUM EDITIONEM

SACRAM VULT ESSE

EDITOR.

LECTURIS SALUTEM

I. N. J.

Posteaquam annis 1861 et 1862 novam Chemniciani examinis editionem adornavimus, majus jam adgredimur opus, locos theologicos Io. Gerhardi edendos. Quos ut ederem, non bibliopolae solum exhortatio movebat, non theologorum solum clarissimorum annuentium consensus; verum ante omnia ardentissimus ecclesiae evangelicae sanaeque doctrinae amor et studium. Quandoquidem vero ecclesiae Dei ego infimus ac neotericus servus proprio Marte vix me aliquid utilitatis afferre posse videbam, e re esse existimabam, vivis ecclesiae membris, sanioris doctrinae studiosis, denuo me tradere locos Io. Gerhardi, ut patrum orthodoxorum more instructi contra novatores in aciem prodirent. Quantumcunque enim ecclesia ex anno 1817 per spiritum sanctum profecit, quotcunque locis rationalismum evertit, quotcunque animas ex Satanae ore eripuit; haec omnia nec sufficient nec diu constabunt, nisi si ipsa verbi Dei doctrina, a corruptelis purgata, sibi denuo pastorum corda subjiciet. Non istam dicimus doctrinam, vel potius quasi-doctrinam, quam sibi quisque pro lubito suo, ex laceratis s. scripturae effatis confinxit: sed illam, quam annuntiaverunt prophetae, docuerunt apostoli, tradiderunt discipuli, redintegrarunt reformatores, secundum analogiam fidei confessi sunt patres. Non enim ut rationalistae sumus semper discentes et ad scientiam veritatis nunquam pervenientes 2. Tim. 3, 7. Verum probe novimus et corde tenemus, quod s. Paulus non Timotheo soli sed nobis etiam dixit: *Τὴν παραθήκην φύλαξον, ἐκτρεπόμενος τὰς βεβήλους κενοφωνίας καὶ ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως*. Depositum, inquit, custodi. Quid est depositum? Id quod tibi creditum est, ut ait s. Vincentius, non apud te inventum: quod accepisti, non quod excogitasti: rem non ingenii sed doctrinae: non usurpationis privatae, sed publicae traditionis: rem ad te perductam, non a te prolatam: in qua non auctor debes esse, sed custos: non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens.

Ecce hanc *παραθήκην*, ex verbo Dei viventis infallibili haustam, patris suffragiis munitam, contra veritatis hostes defensam, in locos apte digestam. Qui scire vult, quid s. scriptura de re aliqua doceat, hunc librum evolvat. Qui textum sacrum aliquem obscuriorem intelligere cupit, hoc in libro inveniet. Qui arma quaerit, quibus adversarios ecclesiae devincat, heic adsunt collecta. Non patres vetusti solum ex hoc fonte hauserunt; verum ii etiam, qui nostram infra memoriam post rationalismi errores sanam recuperarunt doctrinam; veluti, ne de viventibus loquar, et Sartorius et Stahlius.

Quoad consilium, quo opus Gerhardinum denuo exscribendum curavi, haec addo: Tres ejus sunt editiones praecipuae: princeps Jenae decem tomis impressa, forma quadripartita annis 1610—1625. Alia cura Io. Ernesti Gerhardi filii Francofurti et Hamburgi a. 1657 prodiit, tribus tomis in folio, eique adnotationes accesserunt, quas b. Gerhardus pater in ora exempli sui adscripserat, editor autem asterisco notatas textui suae editionis inseruit. Tertia a I. Frid. Cotta theologo Tubingensi curata, annis 1762—1789 forma quadrifariam partita viginti duobus tomis Tubingae lucem adspexit. Ex tribus his editionibus — aliae enim minoris sunt pretii — una seligenda erat, ut nostrae editionis fundamentum. Selegimus editionem principem, Jenae impressam, ut solam a Io. Gerhardo ipso revisam. Ex editione autem, a Gerhardo filio curata, tum eos usurpavimus locos, quibus editor medicam textui

manum admovit, tum notas Io. Gerhardi excerpsimus posthumas, excerptasque nostrae editioni adjunximus. Textus editionis Cottensis parum nos juvit. Videtur enim non principem sed Hamburgensem secutus. Tamen eum contulimus, ubi obscurior aliquis genuini contextus locus esse videbatur. Notas, a Io. Fr. Cotta conscriptas, integras multis de causis rursus imprimi non e re esse existimamus. Primum enim non universam illustrant doctrinam, sed partes modo hinc illinc selectas. Quin ipsae viri doctissimi adnotationes ultra tertiam sectionem capitis octavi loci vigesimi septimi non progrediuntur. Ad reliquas loci ejusdem partes illustrandas una solum de exilio mortis Leibnitiano dissertatio accessit. Locus vigesimus octavus duabus modo observationibus est adornatus; quatuor ultimi loci nec dissertationibus neque observationibus, nec notis omnino. Deinde supradictae adnotationes, etiam ubi pleniorem textus Gerhardini illustrationem exhibeant, nostri temporis desideriis tam parum sufficiunt, ut continuationem exposcant, quam citra viginti annorum spatium vix doctissimus praestet. Tertium Cottae labores, quamquam historiae dogmatum non sine laude inserviunt, tamen non ita vitiis et erroribus carent, ut eos integros recudi sit licitum. Nostrae denique editionis pretium eorum repetitione adeo augeretur, ut divulgandi libri maximum inde futurum esset impedimentum. Quum autem multa et in Cottae v. cl. adnotationibus et in dissertationibus inveniantur, quae legentibus utilitatem afferre queant, nos, suadente A. Twestenio professore p. o. etc. etc. viro summe venerando, ita ageamus, ut primum merum Io. Gerhardi textum (solis ipsius b. Gerhardi notis adjectis posthumis) exhibeamus, deinde, si Deus gratiâ suâ opus progredi jubeat, accessionum Cottensium medullam addamus. Qui editioni Tubingensi praecipuam famam ascivit et pretium, indicem copiosissimum nos non solum accuratissime recudendum curabimus, verum etiam amplificabimus. Unum restat, quod praetermitti non debet: Quatuor primi totius systematis loci: De scriptura sacra, De natura Dei, De s. trinitatis mysterio, De persona et officio Christi, bis in opere Gerhardino leguntur. Primo concisius, secundo accuratius et fusius. Priorem illam ac breviorem explicationem Io. Gerhardus jam anno 1610 edidit, hanc accuratiorem, toto opere absoluto, anno demum 1625 in lucem emisit. Quum autem bis proponi legentibus easdem quaestiones superfluum esset, ipsumque libri pretium hac repetitione minus necessaria crevisset, A. Twestenius v. cl. nobis exstitit auctor, ut, omissa tractatione breviore, fusiorem solam daremus.

In calce denique nostrae editionis vitam b. Gerhardi, post Fischeri aliorumque curas descriptam, cum effigie addemus.

Itaque librum huncce, ex somno septuagenario surgentem, ecclesiae reddimus, precamurque, ut Deus omnis gratiae eo rursus dignetur, per quod sanam sui verbi doctrinam restauret et fundet. Cui sit gloria et imperium in secula seculorum.

Scr. Berolini Dom. Misericordias Domini a. s. MDCCCLXIII.

EDITOR.

LOCORUM

THEOLOGICORUM

CUM PRO ADSTRUENDA VERITATE

TUM PRO DESTRUENDA QUORUMVIS CONTRADICENTIUM FALSITATE

PER THESES NERVOSE SOLIDE ET COPIOSE EXPLICATORUM

TOMUS PRIMUS

AUCTORE

IOANNE GERHARDO

S. S. THEOL. D.

CUM GRATIA ET PRIVILEG. ELECTOR. ET DUCUM SAXONIAE.

JENAE

TYPIS ET SUMTIBUS TOBIAE STEINMANNI.

ANNO 1610.

SERENISSIMO AC CELSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

DN. CHRISTIANO II.

S. R. IMP. SEPTEMVIRO ET ARCHIMARESCALLO

DUCI SAXONIAE JULIAE CLIVIAE MONTIUM LANDGRAVIO THURINGIAE MARCHIONI MISNIAE BURGGRAVIO MAGDEBURGENSI COMITI IN MARCA ET RAVENSPURG DOMINO IN RAVENSTEIN

ELECTORI ET DOMINO MEO CLEMENTISSIMO

GRATIAM DEI PERPETUAM IMPERII TRANQUILLITATEM PERENNEM CORPORIS AC ANIMAE SALUTEM SEMPITERNAM P.

Serenissime Elector, Princeps celsissime, Domine clementissime! Praeclare scribit Cassianus lib. 1. *de Incarnat.* Morbo resurgente nunquam cessare debet medicina, sed quanto major est aegritudo, tanto constantior requiritur curatio. *Nimirum gravi olim cum variarum haeresium morbo colluctatum est mysticum Christi corpus; ecclesia, inquam, ab Arianis, Photinianis, Nestorianis, Eutychianis, aliisve ejusmodi monstris oppugnata est superioribus seculis acerrime, sed provida Ἀρχιποιμένος καὶ Ἀρχιάτρου cura per pientissimorum imperatorum patrocinium et fidele doctorum θεοδιδάκτων, praesertim Athanasii, Cyrilli, Augustini, Vigilii et aliorum ministerium ab hisce pestibus liberata pristinum obtinuit conservata sanitate vigorem. Verum enim vero idem ille morbus resurgit hodie, idem virus pestilens infernalis draco e suis hodieque exhalat faucibus. Ut enim silentii nube involvam varias, eas tamen omnes erroneas opiniones, quibus plurimi ipsissimum Nestorianismum et Eutychianismum postliminio in ecclesiam reducere annituntur, an non ingentem minantur pestem recentiores illi sive Samosateniani sive Photiniani, quos vulgus Neo-Arianos vocat, quibus tamen illi longe pejores sunt et pestilentiores! Num hic cessabit medica manus? num taciti spectabimus plurima ecclesiae membra ferali hac peste corripi, aeternaeque morti tradi? Sed enim ut appareat, quam omnino pestilens tabes et quam virulentum carcinoma sit Photinianorum istorum doctrina, age pressius aliquantulum eam considerabimus, ut juxta Magistri nostri ductum et monitum ex fructibus hos pseudoprophetas cognoscamus, Matth.* 7, *v.* 16. *Docent illi, Christum Jesum non esse verum, naturalem ac aeternum* DEI FILIUM *ab aeterno a Patre genitum, imo negant ante suam ex Maria nativitatem ipsum ὑφιστάμενον aliquod fuisse, asserunt contra Christum esse ψιλὸν ἄνθρωπον, cui a Deo Patre divina potentia ac scientia in tempore sit communicata, quo sensu ac respectu Deus Deique Filius in Scripturis quandoque dicatur, sic ergo aeternam Filii generationem impugnant, divinitatem ejus blasphemant et sanctissimum Trinitatis mysterium proculcant. Hanc esse genuinam*

ipsorum doctrinam ex publicis scriptis Laelii et Fausti Socinorum, Francisci Davidis, Gratiani Turpiani, Georgii Craceri, Johannis Sommeri, Christophori Ostorodi, Valentini Schmaltzii et aliorum liquido cognosci potest. Illos sive Photinianos, sive Samosatenianos, sive Servetianos appellemus, perinde est, siquidem Photinus (teste Augustino libr. de haeres. ad Quodvultdeum c. 45. *ex Philastrio)* in omnibus Pauli Samosateni secutus fuit doctrinam. *Idipsum etiam ex mutua dogmatum collatione apparet. Paulus Samosatenus Antiochiae episcopus circa annum Christi* 270. *docuit,* Christum non semper fuisse, sed ejus initium, ex quo de Maria natus est, exsistere, nec eum aliquid amplius quam hominem esse *(ita Augustin. de haeres. cap.* 44. *ejus haeresin describit)* τὸν λόγον ita in DEO esse docuit, sicut est in eo bonitas, sapientia, justitia, et ut in hominis corde est verbum, *h. e. negavit λόγον esse distinctam a Patre hypostasin. Epiph. lib.* 2. *tom.* 2. *haeres.* 45. *tripart. lib.* 1. *c.* 14. *Niceph. lib.* 6. *c.* 27. Ista haeresis *(verba sunt Augustini loco dicto)* aliquando cujusdam Artemonii fuit, sed cum defecisset, instaurata est a Paulo et postea sic a Photino confirmata, ut Photiniani quam Pauliani celebrius nuncupentur. *Photinus Syrmiensis episcop. circa ann.* 345. ante secula nativitatem et exsistentiam Filii dicere fugiebat, sed Christum ex Maria initium habuisse dicebat. *Athan. orat. de salut. adv. Christi. trip. lib.* 5. *c.* 5. *Niceph. lib.* 9. *c.* 31. *etc. Michael Servetus Hispan. circa ann.* 1532. *finxit,* λόγον fuisse meram ideam in mente Dei, non aliquid subsistens apud Patrem et JESUM hominem in utero virginis vi S. s. fuisse ex λόγῳ ceu ex divino semine et ex carne virginis tanquam materia conceptum et natum. *Videantur ejus libri de trinitate. Samosatenus damnatus est in synodo Antiochena ann.* 274. *Photin. in concil. Syrmiensi ann.* 356. *(vel ut alii scribunt* 351.*). Servetus exustus est Genevae ann.* 1555. *Ex his omnibus de συγγενείᾳ doctrinae Samosatenianae, Photinianae et Servetianae facile constare potest, ex qua porro sequitur, recentiores illos in Transsylvania, Polonia et vicinis regionibus haereticos, qui Christi divinitatem impugnant, et Samosatenianos et Photinianos et Servetianos appellari posse; proxime tamen ad Photini insaniam accedunt, unde etiam ab eo sese denominare non inviti ferunt. Sic enim scribit Faustus Socinus (cui plurimum tribuere illi consueverunt) in disput. de Jesu Christi Filii Dei natura sive exsistentia, nec non de peccatorum per ipsum expiatione adversus Andream Volanum p.* 239. Is fuit Photinus quondam Syrmii episcopus, quem certum est ipsissimam nostram sententiam sermone et scriptis acriter defendisse. *Eodem pertinet, quod Ostorodus scribit in prooemio super librum Germanicum, cujus titulus: Institutio de praecipuis articulis Christianae religionis in regno Poloniae f.* 12. „Praecipue vero ex eo intelligi potest, sententiam nostram de Christo non esse Arianam *(quod a benevolo lectore diligenter observari petit)* quia Ariani in concil. suo Syrmiensi Photinum ejus civitatis episcopum una cum doctrina ipsius condemnarunt, cujus doctrina (quoad articulum de Christo) ut ex historiis constat, omnino fuit eadem, quae hodie nostra est.“ *Hactenus Ostorodus. Sint ergo et dicantur, si ita collibitum ipsis fuerit, Photiniani, et sic erunt in suo Photino damnati antequam nati. Quod enim Syrmiense concilium Arianismi insimulat Ostorodus, ex parte falsum est, siquidem interfuerunt ei non solum Ariani, sed etiam pii et catholici viri, utpote Hosius Cordubensis, Eusebius Nicomediensis et Marcus Arethusius episcopi, quorum postremus martyrii coronam postea adeptus, egregiam fidei confessionem in concilio isto edidit. Videatur Hilar. lib. de synodis, tripart. lib.* 5. *c.* 6. *Sozom. lib.* 4. *c.* 5. *Socrat lib.* 2. *c.* 29. *Apparet sane diversas fidei confessiones in illo concilio editas, quarum una favet Arianismo, altera vero adversatur, sed quod Photini damnationem unanimi patrum istius concilii consensu factam attinet, ea ab omnibus orthodoxis, non illis solum, sed et posterioribus temporibus rata semper fuit habita. Sed enim non tam de nomine quam de ipsa haeresi Photinianorum solliciti erimus. Sic ergo*

procedimus: Negata Filii Dei ab aeterno cum Patre subsistentia, negatur protinus divina ejus natura, negata divina Filii natura, negatur s. s. Trinitatis mysterium, negatur Spiritus sancti aeterna et Patri ac Filio coëssentialis hypostasis. Ulterius negata divina Christi natura, totum redemtionis nostrae et satisfactionis per Christum praestitae mysterium negatur. Neque enim nudi hominis passio et mors ἰσόῤῥοπον λύτρον esse poterit pro peccatis mundi, obedientia nudi hominis non poterit justitiam et salutem aliis promereri, sanguis nudi hominis non poterit ignem irae divinae exstinguere. Si in una lance *(ait D. Luther. lib. de conc. et eccles. t. 7. Germ. Jen. p. 264.)* peccata nostra et ira Dei peccatis nostris debita appendantur, et in altera naturae tantum humanae mors ponatur, aut homo tantum pro peccatis nostris passus, tunc altera lanx deprimit nos ad infimum usque infernum. Quod si vero in adversa lance ponatur Dei passio, Dei mors, Dei sanguis, seu Deus pro nobis passus et mortuus, tunc gravior et ponderosior fiet lanx ista, quam omnia peccata nostra et universa Dei ira. *Porro negata satisfactione pro peccatis nostris a Christo praestita, nostrorum operum meritis ad salutem adspirandum esse relinquitur, alia namque salutis via superest nulla. Posito operum nostrorum merito legis divinae perfecta et omnibus numeris absoluta impletio stabilitur. Posita legis perfecta per nos ipsos impletione articulus de gratuita justificatione per fidem in Christum evertitur.* Si enim ex operibus, jam non ex gratia *Rom.* 11, *v.* 6. *Subruto gratuitae justificationis fundamento, stabilitis contra operum meritis et perfecta legis impletione, vires liberi arbitrii modis omnibus salvae atque integrae asseruntur. Stabilita liberi arbitrii rectitudine, peccatum originale, ejusdemque in posteros Adae propagatio negatur: negato peccato originali virtus baptismi negatur, et in externam quandam ceremoniam omnis spiritualis efficaciae expertem sacrum hoc lavacrum transformatur. Denique negata divina Christi natura, negatur etiam vera et salutaris corporis ac sanguinis ipsius in s. coena κοινωνία, neque enim nudi hominis caro absque capernaitica laniena manducari, multo minus vivifica esse potest; sed ideo et inde caro Christi est vivifica,* quia est verbi, omnia vivificare valentis, propria caro, *ut recte pronuntiat Conc. Ephesin. c.* 11. *Negata autem satisfactione pro peccatis nostris per Christum praestita, negato Christi merito, negata gratuita per fidem in Christum justificatione, negata baptismi efficacia, negata corporis et sanguinis Christi in coena praesentia, quid quaeso spei, quid consolationis, imo quid salutis nobis miseris potest esse reliquum? et tamen portentosos hosce ipsum salutis fundamentum directe evertentes furores potius quam errores ad unum omnes Photiniani isti, διαῤῥήδην et absque ullis verborum μαλάγμασι sive incrustationibus in publicis scriptis proponunt, spargunt, tuentur, eo audaciae et impudentiae nuper progressi, ut illustri academiae Witebergensi catechesin quandam Racoviae excusam inscribere, eandemque ampliss. senatui Gothano transmittere ac commendare non fuerint veriti. Hîc ergo religiosi istius silentii, quo Dd. orthodoxi non absque re hactenus usi, rumpenda sunt claustra: hîc totis viribus furori ipsorum obviam eundum: hîc manus medica admovenda et studio, quo potest fieri maximo, in prima herba venenata isthaec seges conculcanda. Quamvis vero tenuitatis meae, si quisquam alius, probe mihi conscius sim, nec me fugiat, alios theologos, quibus nec eruditione, nec auctoritate, nec experientia ullo modo comparandus sum, in hac palaestra sese exercere et porro etiam exercituros, tamen et meam qualemcunque drachmulam in usum ecclesiae insumere volui, ac proinde, serie disputationum in hoc primo tomo ita ferente, prolixius contra Photinianos et quidem contra πρῶτον ψεῦδος ipsorum, quo aeternam τοῦ λόγου a Patre generationem et personalem ejus subsistentiam impugnant, disserere institui, quam ad rem calcar mihi non mediocre addidit reverendus et clariss. vir Dn. Fridericus Balduinus theol. doctor eximius, ejusdemque in academia Witebergensi professor, et ecclesiae ibidem superintendens, dominus et amicus meus singulariter*

honorandus, qui honesto de chartulis hisce meis in literis suis prolato judicio subjungit haec verba: Quicquid sit de aliorum in catechesi Racoviensi examinanda instituto, labori tuo sanctissimo ex eo nihil decedet; perge itaque et hunc tractatum quam primum in lucem publicam emitte, facturus rem Deo gratam et ecclesiae Christi utilem, tibi vero ipsi honorificam, iisque, qui te vel audiunt vel legunt, salutarem. *Haec ille, quae in ipso hujus scripti frontispicio clypei instar omnibus obtrectatoribus proponere volui.*

Tuae vero, Serenissime Elector, Celsitudini hunc primum theologicorum locorum tomum subjectissime inscribere debui ob causas numero plurimas, pondere gravissimas. Natus sum ante annos 27 *Quedlinburgi Saxonum, quod oppidum Sereniss. Celsit. V. imperio et protectione gaudet: institutus sum per triennium in illustri Sereniss. Cels. V. academia Witebergensi, quam ut studiorum matrem merito veneror, siquidem ea primo coelestis doctrinae lacte me imbutum ad alias postea academias ablegavit: Illustri insuper Domui Saxonicae, cumprimis vero Illustr. et Celsissimo Principi ac Domino, Dn. Johanni Casimiro Saxoniae, Juliae, Cliviae ac Montium Duci, Landgravio Thuringiae, Marchioni Misniae, etc. Principi ac everyetae meo Clementissimo per quadriennium in ecclesiis et scholis servitia mea fuere hactenus subjectissime parata, et ut spero ac precor, non omnino infrugifera: prodeunt denique hae opellae electorali Sereniss. Vestr. Celsit. privilegio munitae. Tuae ergo Sereniss. Celsitudini, tanquam Illustriss. Saxonicae Domus Capiti hae chartulae merito debebantur, quarum auctor omnia omnino eidem se debere lubens profitetur. Quid quod institutum hoc meum videbatur facere ad publice testandum consensum illum, quem tum in aliis omnibus, tum etiam in summo religionis capite per singularem Dei gratiam omnibus simultatum fibris radicitus evulsis Illustriss. Saxonicae Domus hodie tuetur, ac ut porro tueatur, seriis gemitibus omnes boni ac cordati precantur. Suscipe ergo Serenissime Elector, Dn. Clementissime chartaceum hoc, quod fero, munusculum, ac patere, ut ex splendore nominis, quod propter spectatum in coelesti veritate zelum, singularia magnificae munificentiae in ecclesias et scholas documenta, providam pacis publicae conservationem, sinceram justitiae administrationem, aliasve heroicas virtutes electore dignas Sereniss. V. Celsit. apud omnes jam pridem consecuta est, etiam huic opusculo lux aliqua concilietur, et plures ad illud evolvendum invitentur. Deus noster, qui valde exaltatur apud clypeos terrae Ps.* 47, *v.* 10 *concedat Sereniss. V. Celsit. vitam prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, et quaecunque hominis et principis vota sunt (quibus verbis in primitiva ecclesia pro imperatorum salute Deo supplicare consueverunt, teste Tertull. in Apolog. c.* 30.*). Perscript. Heldburgi Cal. April. ann. MDCX.*

Sereniss. V. Celsit.

Subjectissimus

IOANNES GERHARDUS D.

AMPLISSIMIS CONSULTISSIMIS SPECTATISSIMIS

VIRTUTE ERUDITIONE PRUDENTIA AUCTORITATE

ET RERUM USU CLARISSIMIS VIRIS

DNN. CONSULIBUS

DN. SYNDICO ET DNN. SENATORIBUS

INCLUTAE REIPUBLICAE QUEDLINBURGENSIS

DOMINIS FAUTORIBUS AMICIS SYMPATRIOTIS AGNATIS ET AFFINIBUS MEIS PLURIMUM HONORANDIS AC DILECTIS S. P. P.

Amplissimi, consultissimi, spectatissimi, virtute, eruditione, prudentia, auctoritate et rerum usu clarissimi Viri, Domini Fautores, Amici, Sympatriotae, Agnati et Affines plurimum honorandi ac dilecti! Quamvis omnibus vere piis coelestis patriae amor et desiderium cumprimis curae cordique sit, esse certe debeat, cum πολίτευμα ipsorum sit in coelo *Philipp.* 3, *v.* 20. ac peregrini tantum et hospites sint in mundo *Levit.* 25, *v.* 23. *Psalm.* 119, *v.* 19. *Hebr.* 11, *v.* 13. *unde cum Davide saepius in suis ad Deum alloquiis repetunt:* Peregrinus ego sum apud te et incola, ut omnes patres mei *Psalm.* 39, *v.* 13. *ξεῖνος ἐγὼ κόσμοιο καὶ οὐρανοῦ εἰμι πολίτης: interim spiritualis ille coelestis politeumatos amor nequaquam excludit naturalem affectum, quo erga suam in his terris patriam ducantur, de quo Hieronymus in comment. cap. 7. Jerem. super verba:* Dirigite vias vestras etc. *sic disserit:* Naturale est, ut unusquisque natale diligat solum, et nihil dulcius habeat patria; *quod desumtum videri potest ex illo Euripidis in Phoenissis: ἀναγκαίως ἔχει πατρίδος ἐρᾶν ἅπαντας, ὃς δ' ἄλλως λέγει, λόγοισι χαίρει, τὸν δὲ νοῦν ἐκεῖσ' ἔχει, vel ex Ovidianis metris:*

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, et immemores non sinit esse sui.

Quemadmodum enim viator toto quidem animi impetu ad Lares patrios adspirat, interim non potest non sibi gratulari, si in via commodum nactus fuerit hospitium, cujus beneficiis etiam grata mente utitur: sic in via hujus vitae, quae nihil aliud est quam cursus ad veram in coelis vitam, gratis animis agnoscere debemus, si benignissimus Deus talem nascendi et commorandi nobis assignavit locum, qui ob beneficia in se divinitus collata omnibus facile sese commendat, quemque plures exoptant sibi natalem obtigisse. Hanc felicitatem divinae benignitatis virgula mihi quoque obvenisse, non sine tacita gratulatione et voluptatis sensu saepius recordor. Natus enim sum Quedlinburgi Saxonum, (in illa ipsa scilicet urbe, cujus regimen vestrae fidei et prudentiae, Patres conscripti est commissum) anno 1582. *die Octobri* 17. *patre Dn. Bartholomaeo Gerhardo, Vestri ordinis viro, anno* 1598 *propidie ascensionis Dominicae rebus humanis exemto, cujus candor et erga ecclesiarum ac scholarum ministros beneficentia omnibus adhuc in ore; matre vero Margaretha Berndes, Dn. Johannis Berndes Scabini reipubl. Halberstadensis p. m. filia, quae anno proximo* 1624. *die Jan.* 27. *in vivis esse desiit, ac voce publica matronalium virtutum exemplar audire meruit. Urbs isthaec unde nomen suum sortita fuerit, de eo diversae exstant scriptorum sententiae, cum quidam a catella in montis cacumine ibidem ab Henrici Aucupis Imper. conjuge inventa Quedella dicta eam sic appellatam censeant, conjectura permoti admodum levi, quod videant in senatus insignibus catellam pingi solitam; quidam ab aquarum scaturiginibus, quibus locus ille abundat, denominatam eam arbitrantur, ac primum dictam Quellenburgum; alii vero, quorum probabilior est opinio, pagi veteris, qui urbi originem praebuit, nomen relictum ipsi esse existimant. Testantur enim annalium conditores, fuisse olim pagum ea urbis parte situm, ubi hodie est parochia Blasiana, Quintilingum nuncupatum; eidemque vicinum fuisse pagum alium Nortingav appellatum, eo in loco situm, ubi hodie est parochia Egidiana. In medio istorum pagorum, ubi nunc forum est et curia, fuisse ditiorum quorundam aedes, in quibus praenominati imperatoris aulici ac satrapae habitarint, Curtes Quintilingas vocari solitas, in cujus rei memoriam atque antiquitatis significationem adhuc hodie in domorum quarundam frontispicio depictum et insculptum lapidibus conspici homuncionem parvum et nudum suspicantur, inde ex Quintlinburgo, quod fuit antiquum urbis nomen, Quedlinburgum postea esse formatum. Qui a Quadis ob incursiones in has terras factas ex monumentis historiarum notis urbem dictam censent, eos vix audiendos esse putarim, cum isti pessimi nominis populi sedem suam ibi fixisse nuspiam commemorentur. Sita est haec urbs maxima ex parte in planitie ad radices silvae Hercyniae, eamque alluit feracissimum ac limpidissimum flumen Buda dictum, cujus scaturigo in monte Bructero quatuor fere miliaribus ab urbe distat. Aër propter montium et silvarum vicinitatem atque aequalem temperiem salubris, solum nascendis frugibus fertile, unde nec lignorum, nec frugum, nec piscium,*

nec aliorum ad vitae sustentationem necessariorum copia incolis deesse potest, ad quam opportunitatem auspiciis Conradi III. Imp. ann. 1139. *comitia imperialia in hac urbe fuere celebrata. Circa ann.* 930. *jam saepius nominatus imperator collegium virginum illustrium et nobilium in hac urbe instituit, eidemque primam abbatissam praefecit Mechtildam filiam suam, cujus coenobii structurae satis magnificae cum imperator extremam manum morte praeventus imponere non posset, (decessit enim ann.* 936 *Minneslebiae prope Wernigerodam aetatis suae sexagesimo, imperii decimo septimo, cum ex Goslaria, ubi sedes ipsi fuit imperatoria, Romam versus iter susciperet et in itinere sontico morbo corriperetur) relicta Augusta Mechtilda et ejusdem nominis filia abbatissa ad umbiculum structuram illam perduxerunt et laudatissimi imperatoris exuvias in monasterio arcis, ut vocatur, honorifica sepultura reposuerunt. Ex illo tempore huic abbatiae longa serie praefuerunt imperatorum, regum, electorum, principum, comitum filiae, devota pietatis et aliarum virtutum laude conspicuae, quo honore et munere hodie magno cum subditorum bono fungitur reverendissima ac illustr. princeps ac domina, domina Dorothea Sophia Ducissa Saxoniae, Comitissa provincialis Thuringiae, Marchionissa Misniae, omnium bonorum amore et laude praeconio dignissima. Quod si ab externo urbis situ et aedificiis ad interiorem ejus pulchritudinem ad ecclesiastici scilicet et politici regiminis statum oculos convertamus, longe adhuc clarius conspicientur beneficia divina gratia huic urbi prae multis aliis largiter concessa. Si templa ingrediamur, quorum octo numerantur in hac urbe videl. templum arcis (Servatio olim per Bernhardum Episcopum Halberstadiensem consecratum) Benedictinum, Nicolaiticum, Blasianum, Egidianum, Wipertinum, ad Spiritum s. et Johanniticum, auditur in illis omnibus et singulis Dei beneficio sonare vera evangelii doctrina ab omnibus Pontificiis, Calvinianis et aliis haereticis corruptelis repurgata. Cum ante centum annos lux evangelicae doctrinae ex Cimmeriis papatus tenebris emicare inciperet, illius radii satis mature animos quorundam in hac urbe civium collustrarunt, constat enim ex collectaneis Joannis Winnistadii olim pastoris Blasiani, et ex relatione Marci Schulteti pastoris Neapolitani, quendam monachum Augustinianum Vincentium in primo statim repurgatae b. Lutheri ministerio doctrinae initio ardentissimo zelo eam non tantum amplexum esse, sed etiam publice in coenobio Augustinianorum magno cum applausu proposuisse, verum a reliquis monachis ipsum veneno sublatum esse; cumque per magistratum et sacrificulos cursus evangelii in hac urbe impediretur, Quedlinburgenses, Halberstadienses et alii catervatim in pagum vicinum Westerhusium, ubi Henningus Radeken evangelium Christi pure docebat, confluxerunt, ibidemque sacra coena juxta Christi institutionem sub utraque, ut vocant, specie usi sunt. Non multo post in aede Blasiana evangelicam veritatem publice profiteri incipiebat Johannes Sturke, is cum die palmarum habenda ad populum concione et distribuendo cor-*

poris et sanguinis Dominici sacramento pie occupatus esset, curabat eum ab ipso altari per ministrum avocari capitaneus Philippus Mosebucus, fine nimirum eo, ut in arcem abductum, ad Ducem Saxoniae Georgium, captivum ipsum mitteret. Sequebatur vero pastorem hunc suum copiosa civium et opificum manuariorum turba contra vim injustam praesidio ipsi futura, illorum zelum capitaneus videns ab amicis et ministris suis persuasus liberum eum dimisit, gravi prius interdicto addito, ne ulterius concionaretur. Postquam vero hac ratione purioris doctrinae praeconibus intra urbis moenia silentium a magistratu ex sacrificulorum et monachorum impulsu esset impositum, excitavit Deus confessores et praecones in ptochodocheo extra urbem, quod a D. Johanne nomen sortitum. Erat in eo vir senio et pietate venerandus Benedictus Kirchofius, qui licet per aliquot annos caecus fuerat, tamen oculos mentis ipsi Deus aperuerat, ut lucem evangelicae veritatis videret eamque publice profiteri non metueret. Erat in eodem ptochodocheo collega alius Hermannus Dencus, qui vocis raucedine laborabat, qui pastoris fungebatur munere in administrandis sacramentis juxta institutionem Dominicam. Sic ergo raucus cantabat, caecus concionabatur; Kirchofius enim Lutheri scripta ab aliis sibi praelegi curabat, et quae ex illis memoriae, qua praeditus erat felicissima, infigere poterat, populo proponebat, Dencus vero cantionibus sacris collegae sui conciones excipiebat. Hic denuo concursus hominum ex Quedlinburgo et vicinis urbibus ac pagis factus, unde cathedra huic concionatori ex rudibus asseribus in area coemeterii exstruebatur, eo quod templum alioqui satis angustum tot auditores undiquaque magno numero confluentes capere non posset; et quamquam capitaneus Mosebucus equitibus armatis circa urbis moenia oberrans concursum illum civium minis ac vi illata prohibere niteretur, nihil tamen quicquam proficere potuit. Sic ergo cum veritatis adversarii intra urbem videntes et vocem suam sicut tubam exaltantes audire nollent, coacti sunt permittere, ut caeci et rauci extra urbem sub dio Deum celebrarent, ac verbum ejus a pontificiis scoriis repurgatum populo proponerent. Elapso temporis spatio iterum in ipsa urbe ad verbi divini propagationem excitati sunt viri eruditione et pietate conspicui Johannes Bethmannius in templo Neapolitano, Laurentius Donerus in aede D. Egidii et Jonas Hildebrandus in aede Spiritus s. pastor, qui non sine fortunarum et vitae periculo puriorem evangelii doctrinam populo inculcarunt, ac saepius in templorum turribus se abscondere coacti fuerunt, ut ab insidiis et violentia hostium suorum immunes esse possent. De Bethmanno memoriae proditum est, quod apud Principem Saxoniae GEORGIUM ἀποστασίας ab ecclesia et haeresium in vulgus sparsarum ab adversariis suis accusatus atque hoc nomine a principe vocatus animo infracto et imperterrito ad eum accesserit, qui eodem tempore Quedlinburgi commorabatur. Priusquam vero principem adiret, fratri, cognatis et amicis suis valedixit, veritus scil. ipsos faciem suam in his terris non amplius visuros. Timebat enim vitae

suae propter adversariorum minas et notam principis illius vehementiam. Augebant hunc timorem non mediocriter rumusculi militum et satellitum principis, qui magno agmine in foro et ante aedes, in quibus ducis hospitium erat, adstabant, per quorum medium Bethmanno erat transeundum. Illi namque videntes Bethmannum risum movebant, ronchos ducebant, naso adunco ipsum suspendebant, dira illi minabantur, vestes detrahendas et caput abscindendum esse clamabant. Ipse vero forti et constanti animo principem accedebat, ac reverenter et submisse solito more ad pedes ejus procumbebat, habens sequentem se puerum nepotem ex fratre, qui sacrorum bibliorum librum gestabat. Princeps, cum accusatores ejus tertia etiam vice accersiti non comparerent, verbis asperioribus Bethmannum compellare coepit, arguens eum, quod cum a Romana ecclesia formatum suum, uti vocant, accepisset et ad illius obedientiam juramento se adstrinxisset, ab ea tamen nefarie defecerit, sectae Lutheranae sese addixerit, falsa et ecclesiae Romano-Catholicae contraria dogmata in vulgus sparserit, sicque innumerabiles animas gehennae incendio manciparit. Bethmannus qua poterat humilitate et submissione, ea tamen gravitate, quae constantem Christi confessorem decebat, monstrato bibliorum codice respondit: Jurasse se in sacra biblia, in canonica scil. prophetarum et apostolorum scripta, quae esse ipsum Dei verbum et viam salutis sine omni errore monstrare universa fateatur ecclesia. Ex illis sese hactenus docuisse, et verbum evangelii, quod Christi meritis unice confidendum esse doceat, auditoribus suis sincere proposuisse. Quod si ex sacris literis convinci possit, se falsi quippiam hactenus sectatum alios seduxisse, non solum publice se illud retractaturum, sed etiam poenis promeritis sese ultro objecturum; quibus dictis subjecit: peccatorem coram Deo me agnosco, principi Domino meo clementissimo omni submissione me subjicio. Princeps, re aliquandiu secum deliberata et pensitata, errorem ut agnosceret et ad eccles. Rom: rediret, ipsum admonuit, mox vero addidit: Vade et tuo fungere officio, donec aliud quid in mandatis a nobis acceperis. Mortuo Bethmanno surrogatus est pontificius sacrificulus Johannes Genth, cujus concionibus et sacris cum auditores interesse recusarent ac publico verae religionis exercitio destituerentur, rector scholae Neapolitanae Johannes Leo suis discipulis et civibus ipsum accedentibus, evangelicam doctrinam ex scriptis Lutheri in schola praelegebat et pro virili explicabat. Haec sub initium repurgatae doctrinae fuere gesta, donec tandem Principe Georgio ann. 1538. *ex iliaca passione mortuo sacrificuli pontificii sponte ex urbe profugerent ac magistratus animadvertens, se non posse evangelii cursum impedire, non tantum a persecutione desisteret, sed etiam agnita ex verbo Dei doctrinae evangelicae veritate negotium reformationis summis viribus promoveret, evocatis ad eam rem concionatoribus idoneis sincerae religioni in Augustana confessione expositae addictis, quos parochiis urbis praefecit, accersito etiam D. Tilemanno Pletenero ecclesiae Stolbergensis superintendente, qui usitatas*

ceremonias et cantilenas in templo arcis emendare coepit. Ex illo tempore vera et sincera doctrina evangelii sine ullo humanarum traditionum ac corruptelarum fermento in omnibus totius urbis templis semper hactenus fuit populo proposita, succedentibus in ministerio serie non interrupta viris eruditione et pietate clarissimis, ex quibus mihi noti fuere M. Fridericus Abstorffius, M. Andreas Leopoldi superintendentes et concionatores aulici; M. Bartholomaeus Bertramus, Andreas Brandes, Johannes Arndius, Bartholdus Velsteinius, M. Georgius Schollius (a quo sacris Christianis initiatus sum), Johannes Weidlingius, Jacobus Apelius et alii complures, qui postquam sua aetate inservierunt Dei consilio, pie placideque obdormiverunt et appositi sunt patribus suis, uti Actor. 13, *v.* 36 *Spiritus s. de piorum obitu loquitur: Qui in ἐπισκοπῇ et ministerio illis successerunt, et adhuc Dei gratia vivunt, non minoribus Spiritus s. donis ornati sunt, nec minore cum fructu opus Domini faciunt praeclarae eruditionis cum vera pietate, humanitate et modestia conjunctae laude omnino dignissimi. Si a templis ad curiam nos conferamus, deprehendemus in ea civitatis regimini hactenus praesedisse et adhuc praesidere viros aetate, prudentia, auctoritate et experientia spectatissimos justitiae praesides, cultores et defensores vigilantissimos, qui civium salutem omnium suorum consiliorum et actionum legem supremam sibi statuerunt, ac totis eo allaborant viribus, ut remp. patriam, quam a majoribus florentissimam acceperunt, in eodem statu posteris relinquant. Consulatum meo tempore gesserunt Ambrosius Rühelius, Petrus Sichelingius (qui ex sacro baptismatis fonte me suscepit), Nicolaus Tulichius, Johannes Steinackerus, Lotharius Lüderus, omnes νῦν ἐν ἁγίοις; illi Vobis viri amplissimi, Tibi inquam Dn. Nicolae Schultzi, Tibi Dn. Christophore Norice, ac Tibi Dn. Bodo Bluethi et collegis vestris honoratissimis lampada regiminis civici tradiderunt, unde vobis nihil magis in votis optatisque, quam ut laudatissimis antecessorum vestigiis fideliter insistentes civium salutem et incolumitatem sartam tectam conservetis, qua in re etiam votis ac consiliis vestris felicissimus respondet eventus. Reipublicae enim fidei vestrae commissae navem ita gubernatis, ut nec in ea dirigenda prudentia, nec in sustinendis laboribus φιλοπονία, nec in sustinendis adversis patientia, nec in recto cursu tenendo animi praesentia cuiquam Vestrum unquam probari possit defuisse. De Te consultissime Dn. D. Johannes Mullere quid dicam? ultra tres annorum decurias syndici munere in patria rep. tanta industria, solicitudine et dexteritate fungeris, ut parem hac in re successorem vix videaris habiturus, superiorem certe neminem. Tuum in evolvendis theologicis scriptis studium indefessum, de rebus sacris et politicis judicium accuratum, erga ecclesiarum et scholarum ministros ac quosvis eruditos affectum intemeratum nemo ignorare potest, cui animus, vita, mores et actiones tuae paulo penitius sunt perspecta. Si ex curia ad scholam transeamus, ac superiorum temporum historiam paululum perlustremus, deprehendemus ex Quedlinburgensi schola*

velut ex equo Trojano innumeros rei literariae milites togatos prodiisse, quorum opera ecclesiae et reip. fuit maxime salutaris et frugifera. Rectores semper habuit eruditione clarissimos, formandae juventutis artifices insignes, inter quos velut duae faculae et olivae eminent Basilius Faber thesauri eruditionis scholasticae editione per totam Europam notus et M. Henricus Faber, sub cujus disciplinam meam quoque pueritiam et adolescentiam exigere mihi contigit, cujus imaginem ad vivum expressam ob eximia in scholam et universam civitatem merita in ipso choro Benedictini templi collocari Vos viri amplissimi haud praeter rationem curastis. Memini, ipso pestis tempore ann. 98. pie defuncto, sedecim doctores numerari potuisse, qui ipsius institutioni magnam eruditionis suae partem sese acceptam ferre haud inviti fuerint confessi. Qui magnis illis scholasticae juventutis formatoribus in docendi officio successerunt, eidemque adhuc praesunt, commissi muneris sui partes gnaviter implere ac antecessorum suorum laudem consequi etiam ipsi satagunt. Si ex schola in privatas civium aedes nos conferamus, occurret animis atque oculis nostris patrum familias in verae doctrinae studio constantia, singularis erga ministerium observantia, erga magistratum obedientia, erga pauperculos scholasticos gratis alendos beneficentia, in liberis pie erudiendis iisque in disciplina et correptione Domini educandis diligentia, ut de candore in conversatione familiari et justitia in contractibus aliisque homileticis virtutibus nihil quicquam ulterius addam. Quamvis enim ut in roseto spinae et urticae, ita quoque in reip. corpore semper inveniantur vitiosi aliqui humores et vomicae, tamen cum provida vestra, Viri amplissimi, cura et vigilantia illis, quantum quidem fieri potest, malis occurratur, ideo reliquis ad virtutem natis et formatis civibus istud fraudi esse et laudi ipsorum aliquid detrahere minime convenit. Merito igitur Vobis, Consules honoratissimi et Senatores spectatissimi, de illius reipubl. patriae hactenus a me utcunque descriptae imperio, mihi vero de ejusdem (ratione nativitatis et educationis) consortio ex animo gratulor. Neque ab ullo homine mihi vitio verti posse existimo, quod in debitam patriae laudem, quae me nascentem sinu suo excepit, in qua infantia mea vagiit, pueritia lusit, juventus educata est, in qua longa serie cognatos, amicos, sodales, imo et patronos numerare possum, haec qualiacunque praefari voluerim. Plura sunt et majora, quae patriae huic meae benignissimus Deus concessit bona, quam ut digne a me possint recenseri, praedicari, aestimari. Vobis autem Viri amplissimi hanc exegesin primi locorum theologicorum tomi inscribere volui, tum ut meum erga rempubl. patriam et vos ejusdem praesides affectum publice testatum redderem, tum ut pro vestro favore, honore et amore, quin et pro beneficiis tum mihi tum propinquis meis partim vita functis, partim adhuc viventibus πλονι μέτρῳ a V. ampl. et spect. hactenus praestitis, aliquod duntaxat grati animi indicium exhiberem, tum ut debito illo, quo patriae et vobis ejus antistitibus ex promisso jampridem obstrictus teneor, qualicunque hac moneta, cum in officina mea literaria meliorem

cudere non potuerim, vel tandem me exsolverem. Deum bonitate optimum, potentia maximum, supplicibus oro gemitibus, ut bona, quae in patriam hanc nostram contulit uberrima, jubeat ipsi esse si non perpetua, cum in rebus humanis nihil sit perpetuum, tamen diuturna, eademque quotidie augere non cesset, ac vobis, Viri clarissimi, omnibus ac singulis, pacatam regiminis tranquillitatem, vitae longaevitatem, constantem sanitatem, omnem animae atque corporis prosperitatem ac tandem exacto hujus vitae curriculo aeternam felicitatem benignissime largiatur. Dab. Jenae Cal. Aprilis anno 1625.

V. V. Amplit. et Spectab.

studiosissime observans, amans, aestimans

IO. GERHARD. D.

IOANNIS GERHARDI

S. S. THEOL. D.

LOCORUM THEOLOGICORUM

TOMUS PRIMUS

IN QUO CONTINENTUR HAEC CAPITA:

1. *De Scriptura Sacra.*
2. *De Natura Dei.*
3. *De S. S. Trinitatis Mysterio.*
4. *De Persona et Officio Christi.*

IOANNIS GERHARDI

S. S. THEOL. D.

LOCORUM THEOLOGICORUM

TOMUS SECUNDUS

IN QUO CONTINENTUR HAEC CAPITA:

IOANNIS GERHARDI

S. S. THEOL. D.

LOCORUM THEOLOGICORUM

TOMUS TERTIUS

IN QUO CONTINENTUR HAEC CAPITA:

IOANNIS GERHARDI

S. S. THEOL. D.

LOCORUM THEOLOGICORUM

TOMUS QUARTUS

IN QUO CONTINENTUR HAEC CAPITA:

IOANNIS GERHARDI

S. S. THEOL. D.

LOCORUM THEOLOGICORUM

TOMUS QUINTUS

IN QUO CONTINENTUR HAEC CAPITA:

21. De Sacra Coena. | *22. De Ecclesia.*

IOANNIS GERHARDI

S. S. THEOL. D.

LOCORUM THEOLOGICORUM

TOMUS SEXTUS

IN QUO CONTINENTUR HAEC CAPITA:

IOANNIS GERHARDI

S. S. THEOL. D.

LOCORUM THEOLOGICORUM

TOMUS SEPTIMUS

IN QUO CONTINENTUR HAEC CAPITA:

25. *De Conjugio, Coelibatu et similibus argumentis.*

IOANNIS GERHARDI

S. S. THEOL. D.

LOCORUM THEOLOGICORUM

TOMUS OCTAVUS

IN QUO CONTINENTUR HAEC CAPITA:

26. De Morte. 27. De Resurrectione Mortuorum.

IOANNIS GERHARDI

S. S. THEOL. D.

LOCORUM THEOLOGICORUM

TOMUS NONUS

IN QUO CONTINENTUR HAEC CAPITA:

JO. FRIDERICI COTTAE

S. THEOL. D. ET IN ACAD. TUBING. PP.

PRAEFATIO

QUA

DE VITA ET FATIS ET SCRIPTIS

JOANNIS GERHARDI

DISSERITUR

DENUO IN LUCEM EDITA.

Quum *Locorum theologicorum* a b. Gerhardo olim editorum praestantia dudum innotuerit omnibus, qui doctrinae sanctiori suam addixerunt operam, vix opus esse arbitramur, ut rationes, quae ad libri hujus novam editionem nos praesertim impulerint, copiose hic exponamus. Id potius instituti nostri ratio exposcit, ut vitam, fata atque scripta auctoris, post fata quoque celeberrimi deque republica litteraria atque ecclesia cumprimis puriori immortaliter meriti, ea, qua fieri potest, brevitate enarremus.

Ut itaque a vita Jo. Gerhardi, quam paucis enarrare constituimus, dicendi faciamus initium, nascendi sortem nactus est Noster anno 1582. die 17. Octobris Quedlinburgi, celebri Superioris Saxoniae urbe, quam et postea semper amavit Noster, felicem sese praedicans, locum hunc, antiquitate ac celebritate paucis in Saxonia secundum, se nascentem sinu suo excepisse, in eo infantiam suam vagiisse, pueritiam lusisse, iuventutem educatam esse.

Patrem veneratus est Bartholomaeum Gerhardum, patricium et amplissimi senatorum Quedlinburgensium ordinis assessorem aerariique senatorii praefectum, cuius mortem praematuram anno 1598. acerbissime luxit. Matrem vero habuit Margaretham Berndesiam, virtutibus matronalibus maxime conspicuam, Jo. Berndesii, scabinatus Halberstadiensis assessoris, filiam, cui anno 1624. Quedlinburgi decedenti, intimo moerore compunctus, iusta solvit. Ex maioribus eius minime praetermittendus hic nobis est Andreas Gerhardus, avus paternus, Abbatissae Quedlinburgensis quondam consiliarius, vir ab eruditione, prudentia et pietate summopere commendabilis, cuius et filia, Gertruda, iam *Quenstadtiorum* gentem cum *Gerhardiana* felici connubio copulavit. Praeter nostrum autem Jo. Gerhardum nati hisce parentibus sunt filiolus adhuc unus, Andreas, anno 1580. filiae vero quinque; inter quas secunda, Dorothea, Ludolpho Quenstadtio, patricio Quedlinburgensi, nupta Jo. Andream Quenstadtium, magni nominis theologum, peperit. Frater Joannis nostri natu maior, Andreas Gerhardus, quamvis nondum quadraginta tres annos plenos natus humanis praemature nimis eriperetur rebus, tamen ad summum honorum culmen iam evaserat. Iurium

enim doctoris dignitate ornatus, variis iisque lautis muneribus fuit admotus atque properante fortuna cancellarius tandem Schwarzburgicus creatus est. Huic debemus egregias dissertationes *de testamentis*, itemque *Quaestiones illustres super institutiones imperiales*, quas nepos ex fratre, Jo. Andreas Gerhardus, Jenae anno 1659. recudi curavit.

Ut vero ad Jo. Gerhardum nostrum redeamus, is, in tenera adhuc aetate constitutus, in litterarum bonarumque artium seminaria ablegatus a parentibus, cumprimis M. Henrico Fabro, rectori scholae Quedlinburgensis, viro multis nominibus de re scholastica merito, formandus traditus est. Ipsemet Gerhardus noster in *Epistola dedicatoria exegeseos locorum theologicorum* refert, sedecim doctores numerari potuisse, qui huius Fabri institutioni magnam eruditionis suae partem sese acceptam ferre haud inviti fuerint confessi.

Haesit autem hisce in scholis ad annum usque 1598. laudabili prorsus exemplo. Neque enim ea fuit tarditas quaedam ingenii, quo plurimum valebat, quae ipsum hic detinuit; sed, quanti sit, fundamenta in studiis solide iecisse atque probe instructum esse linguarum notitia reliquisque adminiculis, priusquam ad academica studia appellamus animum, suo hocce exemplo, eoque prorsus egregio, commonstrare voluit. Atque hoc ipsum eum etiam permovit, ut mortuo suo Fabro lyceum Halberstadiense per semestre adhuc frequentaret, in quo rectorem dexterrimum, M. Paulum Dolschium, sua pertinaci industria profectibusque, quos in humanitatis studiis fecerat, luculentissimis in sui rapuit admirationem. Et sane de eruditione eius iuvenili abunde testatur exasciatum eius carmen latinum, quo *Historiam evangelicam* cecinit, et graecum praeterea, quo *Passionis* Jesu Christi *historiam* cum insigni eruditionis apparatu affectuque animi pientissimo adumbravit. Hisce speciminibus insimul iam tum temporis talem sese demonstravit, qui par aliquando futurus esset continuando immortali operi *Harmoniae Chemnitio-Lyserianae.*

Fata quaedam, cum quibus hac aetatis periodo conflictatus est Noster, hac occasione praeterire non possumus. Vix decimum quintum aetatis annum expleverat, quum in gravissimum incideret morbum, qui non tantum, cum diuturnus esset et per integrum anni spatium depelli plane haud posset, vires eius penitus exhausturus esse videbatur, sed et animum eius ita affligebat, ut scrupulis plenus et fere ab omni consolationis sensu vacuus esset. Ipse alicubi fatetur, se tristi hac rerum suarum conditione libellum precationum conscripsisse, suis lacrumis uberrime humectatum. Psalmum Davidis sextum eodem tempore sibi veluti proprium fecit eique hancce posuit inscriptionem: *Tentatio spiritualis de ira Dei propter peccata.* Fructus tamen aliquis, isque insignis, pro ecclesia nostra evangelica ex gravissimo hocce morbo enatus est. Quum enim Gerhardi nostri animus olim in medicinae studia praecipue propenderet, iam intus fuisse videtur commonefactus, ut potius doctrinae sanctioris studia ingrederetur. Votum idcirco nuncuparat, quo etiam sese, quamvis primum a sua mente depulsus, liberavit.

Anno hasce calamitates insequenti corripiebatur peste, quae luctuosis istis temporibus per Germaniam nostram valde multumque grassabatur. Verum, quae singularis plane supremi numinis fuit providentia, ex hac quoque morte evasit feliciter, quum duplicem casu fortuito *ἀλεξιφαρμάκου* sumsisset portionem.

Iactis rite fundamentis bene maturus iam erat Gerhardus noster ad subsellia academica. Proinde anno 1599. Vitembergam, matrem istam almam studiorum et foecundissimam, concessit. Curriculum philosophicum ingressus nullam earum partium, quae quidem tum temporis pro ratione istius aevi tradi solebant, negligendam sibi esse censuit. Audivit igitur ex ore Wolffgangi Franzii historiam, logicam vero atque ethicam ex ore Antonii Euonymi hausit. In rhetoricis Martino Helwigio praeceptore usus est, in mathematicis Erasmo Schmidio, in philosophia naturali Jo. Mehlfürero, in anthropologia Jacobo Coco. Privata insuper industria ex optimis, qui in Aristotelem commentati sunt, auctoribus ampla sibi fecit collectanea suosque in studiis philosophicis profectus plane eximios in disputationibus publicis commonstravit. Illud quoque notatu dignum est acerrimique iudicii praebet docu-

mentum, quod Gerhardus noster ex ipsis philosophiae scholasticae tenebris lucem quandam, illustrandis doctrinae sanctioris capitibus inservientem, elicuerit eandemque scriptis suis eruditissimis postmodum intulerit.

Postquam accuratiori philosophiae scholasticae cognitione mentem suam probe imbuisset Noster, voti, quod olim nuncupaverat, memor, mox anno 1600. ad studia theologica serio sese applicuit atque sub finem huius anni praelectiones publicas Leonhardi Hutteri, theologi prorsus eximii, nec non Salomonis Gesneri, qui caput 12. Danielis exponebat, sedulo frequentavit. Tanta quoque tum temporis proficiendi flagrabat cupiditate, ut in disputationibus theologicis tum argumenta, quibus veritates divinae fuerunt impugnatae, tum responsiones ad obiectiones datas peculiari volumine annotaverit.

Verum deturbatus iterum ab hocce instituto per biennii intervallum, suasore inprimis cognato suo Andrea Rauchbaro, procancellario Electoris Saxoniae, medicae artis studia amplexus est Noster; in quibus etiam brevi admodum temporis spatio tantos fecit profectus, ut ipse non solum propositiones medicas contra opponentes defendendas conscriberet, sed et integrum volumen de rationibus curandi omnis generis morbos ex antiquis pariter ac recentioribus medendae artis magistris congereret, quin practicum agere multo cum applausu ordiretur. Factum hinc est, ut postmodum, ubi muneri sacro fuit admotus, non lucri gratia, sed ex mera caritate ac misericordia, absque ullo praemio, multos sua arte solaretur eosdemque in vitam quasi reduceret.

Neque tamen, mortuo inprimis Rauchbaro, tenera Gerhardi nostri conscientia permisit, ut voti, quod quindecim annorum puer conceperat, exactam solutionem longius differret. Igitur sollicitationibus eius ut obsecundaret, Jenam cum filio Rauchbari natu maiore tanquam morum magister profectus, novo eoque pertinaci mentis fervore studia sacra, per aliquod tempus plane seposita, reassumsit, consilio prius Jo. Arndii, viri integerrimi, expetito, qua potissimum ratione in hocce studiorum genere felicissime progredi posset. Philologiam sacram atque studium biblicum cum ante omnia suasisset Arndius, omnem curam atque cogitationem eo contulit Gerhardus noster, ut linguas sanctas solide imbiberet, principia et regulas hermeneuticas ad amussim teneret easdemque ad sacras litteras rite prudenterque applicaret. Tantam vero ex hocce instituto et utilitatem et suavitatem percepit, ut postea alios quoque doctrinae sanctioris cultores, quos in museo suo aluit, in horum studiorum amores atque amplexus multis exhortationibus rapere fuerit annisus. Imprimis autem animum Salomonis Glassii, qui tum temporis studio sanctioris disciplinae in academia Jenensi incumbebat, hac occasione lucrifecit. Certe ipse Glassius in praefatione *Rhetoricae sacrae* praemissa, quantopere sit devinctus Gerhardo, ingenue fatetur. *Libri mei*, inquit, *te agnoscunt originem et fontem. Tuo enim hortatu factum, quidquid in philologia sacra per me studio qualicunque conscriptum et publicae luci expositum hactenus est.* Cum sacri autem codicis lectione, quam nunquam sine devotis ad Deum precibus instituit, antiquos coetus christiani doctores, quos *patres* vocant, itemque scholasticos coniunxit Gerhardus; in quorum tamen evolutione ita versatus est, ut nihil, nisi quod accuratiori iudicio subiecisset, suo approbaret calculo. Audivit quoque in cursu suo theologico, Jenae cumprimis, viros praestantissimos, Georgium Mylium, Ambrosium Reudenium ac Petrum Piscatorem, ex quorum institutione se plurimum profecisse, gratus agnovit.

Anno 1603. summos in philosophia honores, quibus iam dudum dignus erat, ab amplissimo philosophorum ordine modeste sibi expetiit. Quorum adeo non repulsam tulit, ut potius inter duodecim candidatos principem obtineret locum. Precibus deinceps quorundam studiosorum adductus tertio statim, postquam in gradum huncce promotus erat, die collegium logicum Aristotelicum instituit, cui mox politicum nec non metaphysicum, quale ante ipsum in academia Salana nemo praelegerat, adiunxit. Coepit quoque mense Novembris huius anni doctrinam sanctiorem intra suos parietes concessu superiorum profiteri. Nec tamen labores hosce utilissimos diu continuare licuit Gerhardo nostro. Exeunte enim hoc

anno valetudo eius adeo gravi morbo fuit infestata, ut ipse de ea recuperanda desperaret. Adornavit hac occasione testamentum aliquod, in quo plenam eandemque prorsus egregiam fidei suae confessionem exhibuit, qua ratione sibi iusta solvi velit, disposuit atque cum tenerrimo animi affectu caritatibus suis atque amicis valedixit*). Conscripsit quoque hoc ipso tempore precationem istam, suavissimum veluti pietatis odorem spirantem, quae inter meditationes eius sacras typis exscriptas sextum occupat locum hacque insignita est inscriptione: *Consolatio poenitentis ex passione Christi.*

Praeter omnem spem atque exspectationem cum primum convaluisset Gerhardus noster, theologorum Marpurgensium eius aetatis celebritas eum invitavit, ut anno 1604. cum Michaele Rauchbaro, discipulo suo, Marpurgum concederet, amplissimum theologiae campum summa cum animi contentione denuo emensurus. Interfuit igitur in hacce musarum sede praelectionibus Jo. Winckelmanni itemque Jo. Schollii, hebraeae linguae professoris. Imprimis autem a Balthasare Menzero, theologo eximio, qui universam theologiam tum temporis disputando pertractavit, nunquam sese avelli passus est. Sub huius quoque praesidio conscripta a se theoremata *de scripturae interpretatione* publice defendit insuperque Marpurgi itidem collegia philosophica multo cum applausu ipse instituit.

Menzerus, magni nominis theologus, cuius modo fecimus mentionem, adeo in deliciis habuit Gerhardum, ut itineris, quod anno 1605. valetudinis gratia susceperat, eum comitem sibi adiungere non dubitaret. Inviserunt igitur Giessam, Francofurtum, Darmstadium, Heidelbergam, Stuttgardiam, Tubingam, Argentinam, Spiram, Wormatiam aliasque insuper urbes et cum viris eruditissimis, Vietore, Giessensi, Pareo et Jano Grutero, Heidelbergensibus, Magiro et Bidembachio, Stuttgardianis, Hafenreffero, Gerlachio, Crusio, Lansio, Tubingensibus, Pappis itemque Obrechto, Argentinensibus, aliisque collocuti sunt. Tantum etiam amorem erga Tubingam nostram concepit Gerhardus, ut postmodum diu dubius haeserit, an non in hac universitate sedem suam figere vellet, donec providentia divina de ipsius sorte certi quidpiam statuisset.

Quum reduces facti essent ex itinere Menzerus et Gerhardus, turbulentus erat rerum Marpurgensium status, eo quod Mauritius, Hassiae Landgravius, sacra reformata in ecclesiam atque academiam Marpurgensem introducere aggrediebatur. Gerhardus igitur cum Rauchbaro suo ex hocce tumultu discessit atque Hemsendorffium, praedium Rauchbarianum, ad breve tempus sese contulit. Deposita hic privatae institutionis morumque praefecturae sparta, quam insigniter hactenus ornarat, de academica denuo vita, quippe omnium sibi iucundissima, cogitare coepit.

Aliis ergo omnibus posthabitis, deprecatus etiam rectoris scholae Quedlinburgensis sat lautum munus, in desideratissimae sibi academiae Jenensis sinum, solidioris doctrinae acquirendae studio penitus inflammatus, vel tandem rediit, cum brevem excursionem Magdeburgum, Brunsvigam, Guelpherbytum et Groningam antea fecisset. Jenae degens non tantum ipse Petri Piscatoris collegio privato theologico interfuit, sed et in magno auditorum coetu collegia cum philosophica, tum theologica habuit, mox propter communem applausum in ordinem adiunctorum facultatis philosophicae cooptatus; id quod factum est sub finem anni 1606. Ut vero spartam hanc legitime capesseret Gerhardus, dissertationem *de vero* conscripsit publiceque defendit; in qua sententiam Danielis Hoffmanni, theologi Helmstadiensis, cui in mentem venerat, philosophiam cum theologia pugnare, abrogandam propterea penitus et tollendam esse**), sub examen revocavit. Hancce disputationem anno

*) Hocce testamentum, lectu dignissimum, quod in bibliotheca Gothana diu latuerat, in lucem publicam protraxit atque *Vitae Gerhardi p. 29. seqq.* inseruit Erdmannus Rudolphus Fischerus. (Lipsiae 1727.)

**) Hoffmanno suffragati sunt Jo. Angelus Werdenhagenius, Jo. Müllerus aliique. Acriter tum in academia Helmstadiensi alibique hac super re fuit disputatum. Inter scripta vero, quibus usus philosophiae contra Hoffmannum eiusque sectatores fuit propugnatus, eminent Alberti Graveri liber *de unica veritate* et Jacobi Martini *Speculum rationis*, sermone germanico conscriptum.

insequenti alia *de necessitate et contingentia* est secuta, in academia Jenensi pariter publice defensa. Atque ab hoc inde tempore aliis quoque scriptis, quae suo loco recensebimus, manum admovit Gerhardus, quin et operum maiorum, quae nomini ipsius immortalitatem conciliarunt, primas veluti lineas duxit.

Anno 1606. commendatione Wolffgangi Heideri, logices atque ethices in academia Jenensi professoris, factum est, ut Gerhardo, habita coram Jo. Casimiro, Principe Coburgensi, eiusque aulicis concione, arduum munus superintendentis Heldburgensis offerretur. Equidem varias caussas sibi obstare putabat Noster, quominus oblatam sibi conditionem mox acciperet. Allegabat inter alia et hoc, consensum optimae matris sibi adhuc deesse, quae ipsum Quedlinburgi vivere exoptaret. Ast legati principis regerebant, huncce consensum facile impetrari posse, cum iustae dissuadendi caussae matri non suppetant. Scripsit quoque ipsemet serenissimus Casimirus litteras sua manu exaratas ad Abbatissam Quedlinburgensem, quae animum matris in vocationem hanc forsan non consensurae flectere anniteretur. Consensit tandem Gerhardus, gravissimis expugnatus rationibus, atque acceptis vocationis suae tabulis Jenam repetiit ibidemque, iussu celsissimi Principis sui, in candidatis theologiae nomen suum professus est. Superato tentamine, ut vocant, habitaque lectione, quam dicunt, cursoria publiceque defensa dissertatione inaugurali, *praecipuas de sacra coena controversias,* quae tum temporis in ecclesia agitabantur, complectente, cunctis suffragiis dignus fuit habitus, cui insignia doctoris theologi conferrentur. Hisce ornatus honoribus Heldburgum reversus est Noster ibidemque in novum suum munus solemniter fuit introductus. Licet vero labores cum ephoria Heldburgensi coniuncti per se sat ardui essent, ea tamen lege huic muneri fuit admotus, ut, quotiescunque gravior caussa in consistorio Coburgensi decidendà esset, Gerhardus arcesseretur insimulque singulis mensibus disputationes theologicas in gymnasio Coburgensi, tanquam eius professor ac inspector, institueret. His utriusque officii partibus ita assidue vacavit Noster, ut vel summa cum molestia, quandoque et valetudinis damno, iter suum per novem annos statis temporibus Coburgum emetiretur. Ceterum primus ipse fuit, qui operam suam disputationibus theologicis in gymnasio Coburgensi habitis consecravit.

Quae intra istud temporis spatium, quo Gerhardus superintendentis Heldburgensis munus obiit, illi memorabilia maxime acciderunt, ea paucis complectemur momentis. Versabatur Heldburgi tum temporis Christina, filia Wilhelmi IV. Landgravii Hassiae, coniux Jo. Ernesti, Ducis Saxoniae Isenacensis, princeps non pia duntaxat, sed et egregie docta. In huius praesentia non solum complures habuit orationes sacras in nonnulla sacrae scripturae oracula, a serenissima Principe praescripta; sed et commercium litterarium de praecipuis Evangelicos inter et Reformatos controversis capitibus cum illa instituit idque ad annum usque 1611. continuavit. Expetiit quoque sibi Princeps Christina, verae doctrinae cupidissima, a Gerhardo, ut librum quendam theologicum evulgaret hac adornatum methodo, ut scilicet primum omnes religionis christianae articulos, cuivis christiano ad sempiternam salutem scitu cognituque necessarios, in certa capita distributos, ordine consignaret; hos deinde solis sacrarum litterarum testimoniis, et quidem omnibus ac singulis, quae in veteris novique testamenti libris exstant, confirmaret; cuncta denique sacri codicis dicta, quae doctrinae puriori adversari viderentur, congereret dextreque explicaret et argumenta contraria e verbo divino solide confutaret, nulla tamen doctorum, sive veterum, sive recentiorum mentione facta. Huic desiderio satisfacturus Gerhardus manum quidem operi admovit atque unum alterumque articulum, nominatim de praedestinatione ac sacra eucharistia, hac lege concinnatum Christinae exhibuit. Verum integro operi absolvendo multae eaeque gravissimae obstiterunt occupationes. Praeter ordinarios enim labores, eosque sat graves, privatamque in elucubrandis libris, quos suo loco recensebimus, industriam, responsa quoque bene multa hoc et sequentibus temporibus ab ipso elaborata esse constat.

Quum Jo. Casimiro, Duci Saxoniae, eo tempore nonnulla itinera essent suscipienda

isque idoneo sacrorum administro et fido consiliario ecclesiastico opus sibi esse intelligeret, Gerhardum prae aliis dignum iudicavit, quem comitem sibi adiungeret. Ter itaque, nimirum anno 1609. 1612. et 1613. principem hunc Dresdam proficiscentem comitatus est. Cumque anno 1610. idem princeps gloriosissimae memoriae Coloniae Agrippinae colloquio de caussa Juliacensi cum aliis principibus interesset, Gerhardum suum denuo ad latus habuit. Anno 1612. Francofurtum ad Moenum cum eo profectus est, eligendi ac coronandi Imperatoris Matthiae solemnibus interfuturus. In omnibus hisce locis sermones sacros habuit Gerhardus atque viris clarissimis diversorum ordinum innotuit.

Anno 1613. visitationem ecclesiarum suarum Thuringicarum et Franconicarum generalem Gerhardo imperavit Casimirus; quod quidem negotium tam promte tantaque cum accuratione expediit, ut principem suum hac ratione plurimum sibi devinciret. Et sane ipsa acta huius visitationis, quae sua ipsius manu verbose scripsit Gerhardus, abunde testantur, ipsum nil quidquam in quavis paroecia omisisse, quod ad boni visitatoris officium pertinere arbitrabatur. Ut doctrinae purioris conservationem, absque morosiori tamen mentis affectu, curae imprimis cordique habebat; ita disciplinae ecclesiasticae emendandae maximum illum tenuit desiderium. Disciplinae enim ecclesiasticae nervos nimis laxatos atque luxatos esse, in litteris ad Jo. Saubertum graviter querebatur. Sub praetextu abusuum illud ipsum, quod ad conservandam disciplinam maxime utile erat et necessarium, per quandam oscitantiam abrogatum, vel saltim labefactatum esse pronuntiabat. Incassum tamen hic laboraturos esse omnes praedixit, nisi *maior Moysis et Aaronis voluntatum exsistat consensio.*

Heldburgi adhuc subsistens complures vocationis accepit epistolas, ut Dilherrus etiam, professor olim Jenensis, postea theologus Noricus, in laudatione funebri his sese verbis expresserit: *Nulla est (fere) in orbe Europaeo Protestantium academia, nulla celebrioris alicuius urbis ecclesia, quin hac Thuringiae lampade illustrari expetierit et praecipuum hoc Europae nomen liberali stipendio ad se vocarit.* Ita anno 1608. *Halam* vocatus est, ut Archiepiscopi Magdeburgensis ecclesiastes esset. Eodem anno *Hamburgum*, ut pastoris ibidem munus obiret. Anno 1609. praesulis *Vinariensis* dignitatem ei obtulit serenissima Princeps Dorothea Maria, Ducis Joannis vidua. Proceres autem evangelici locum in nova academia Pragensi eidem destinarunt suoque petito aliquoties postmodum institerunt. Anno 1610. professor theologiae in academia *Giessensi*, porro superintendens generalis *Cellensis*, vel et antistes *Islebiensis* ac synedrii sacri praeses constitui potuisset. Anno 1611. Superioris Austriae ordines evangelici illum *Lentii* superintendentis generalis et praesidis consistorii dignitate ornare voluerunt, Comes *Mansfeldensis* decani, *Quedlinburgenses* sacrorum antistitis honoribus. Anno 1606. *Moravienses* evangelici proceres illi officium ecclesiasticum primarium destinarunt, et cancellarius Meiningensis ephoriam *Schleusingensem.* Anno 1613. academia *Altorfina* et *Vitembergensis* prima vice illum suum esse cupiit. Anno 1614. ut *Helmstadii* professoris theologiae primarii munus susciperet, tertium invitatus est. Ut alias eiusmodi vocationes, quae maximam partem admodum lautae erant atque honorificae, haud memoremus. Licet vero Gerhardus academicis praecipue lubenti animo paruisset, tamen a Casimiro, principe suo, qui ex intimis visceribus eum deamabat, dimissionem impetrare haud potuit. Hoc duntaxat vel tandem obtinuit, ut spe aliquando *Jenam* redeundi, sibi carissimam, lactaretur.

Casimiro interea Gerhardus vel Heldburgi vivens, nimis adhuc a se remotus videbatur. Post varia igitur alia tentamina tandem anno 1615. id effecit, ut superintendentis generalis *Coburgensis* munia, perquam onerosa, sibi imponi pateretur. In quo officio licet valetudinem suam iam antea valde debilitatam esse sensisset, ita strenuum tamen sese praestitit, ut Casimirus ecclesias sub hocce moderamine egregie florere, cum intima animi voluptate animadverteret. Vel solam in rei fidem excitasse sufficiat *constitutionem ecclesiasticam*, quam Gerhardus, hortatu principis sui, adhuc anno 1615. concinnavit atque anno subsequenti in lucem publicam emisit, quem laborem etiam munifice remuneratus est Casimirus, Princeps

serenissimus. Recentissima huius *constitutionis ecclesiasticae* editio Coburgi anno 1713. prodiit, cui brevem expositionem de *ordinationibus ecclesiasticis* addidit Ernestus Salomon Cyprianus, theologus Gothanus, isque celeberrimus.

Ordinis ratio iam exposcit, ut de vocatione *Jenensi*, ad quam accipiendam ipse Gerhardus suam proclivitatem haud obscure prodidit, sigillatim nonnulla dicamus. Jam anno 1611. academia Jenensis valde institerat, ut Gerhardus professor sibi theologiæ concederetur. Neque tamen tum temporis voti sui compos fieri potuit, siquidem serenissimus Princeps Casimirus nullis adduci potuit rationibus, ut Gerhardum Jenam dimitteret. Verum quum quadriennio post Ambrosius Reudenius, facultatis theologicæ in academia Jenensi senior, rebus eximeretur humanis, atque Gerhardus, ut eiusdem locum suppleret, denuo solemniter vocaretur, ipseque insuper Elector Saxoniae Joannes Georgius I. die 18. Julii anni 1615. litteras hac de re ad Principem Jo. Casimirum daret; factum vel tandem est, ut Gerhardus, Electore Saxoniæ imprimis intercessore, dimissionem sui ad academiam Jenensem a Casimiro obtineret. Leges tamen ipsi serenissimus hicce Princeps quasdam praescripsit, vi quarum adhuc quodam modo suus permaneret; nimirum ut in posterum quoque consiliarium ecclesiasticum apud ipsum ageret, ut porro visitationibus, synodis aliisque deliberationibus, sicubi necessitas id exposceret, neque tamen suis sumtibus, interesset, itemque ut quotannis examinibus gymnasii Casimiriani assisteret atque ut denique peculiarem curam eorum gereret, qui suis et fratris Jo. Ernesti Isenacensis stipendiis in litteras Jenae incumberent. Pro quibus officiis illi annuum centum florenorum stipendium decrevit.

Atque ab hoc tempore nova iam vitae Gerhardi periodus orditur, quam inter exoptatissimas semper retulit atque de qua, quamvis videretur de altiori dignitatis gradu descendere, mirum in modum sibi gratulatus est. Tanto autem cum ardore sese statim praelectionibus suis theologicis applicuit, ut nihil plane eorum praetermitteret, quae egregios doctrinarum sanctarum consecraneos efformare possent. Nam praeter isagogicam locorum theologicorum explicationem, quam subinde instituit, singulis quoque annis quosdam duntaxat locos eosdemque praecipuos curatius sibi excutiendos sumsit. Contra omnis generis hostes, quibuscum ecclesiae purioris doctoribus certamen subeundum est, invictum in veritate tuenda defensorem egit. Imprimis contra Romanenses fortiter pugnavit eosdemque habitis hanc in rem collegiis solide confutavit. Et sane post Lutherum atque Chemnitium praestantior debellator ecclesiae romanae doctorum vix cogitari potest, qui arma ipsorum tam egregie retunderet eosque suis ipsorum gladiis iugularet. Praeterea contra Jo. Calvini asseclas auditores suos sollicite communire, suarum duxit esse partium. Descendit quoque in arenam cum Photinianis, idque haud infeliciter, omni quippe armorum genere abunde instructus. Disputatoriis collegiis multum statuit pretii inque iis discipulos suos diligentissime exercuit. Horas tamen exegeticas omnibus fere reliquis antetulit. Pauci sunt libri veteris novique testamenti, quos non in praelectionibus suis academicis nervosissime exposuerit. Explanationi *Epistolae ad Hebraeos*, sed non prima demum vice institutae, immortuus est. Adiunxit hisce omnibus reliquas quoque lectiones et collegia, quae a theologo consummato fideique pleno exspectari possunt. Quum anno 1636. Jena Cahlam, vicinum musis Salanis oppidulum, sese contulisset, ut morbos contagiosos Jenae grassantes effugeret, in hoc quasi exsilio commorantibus ibi secum studiosis sex priora capita *Apocalypseos* exposuit huiusque explicationem postea Jenam reversus continuavit. Cum collegis Joanne Maiore et Jo. Himmelio in maxima ac nunquam interrupta concordia vixit. Fasces academicos quater tenuit. Decani autem partibus crebrius magna cum dignitate defunctus est honoribusque doctoralibus ornavit non multos quidem, sed graves ac dignos viros, ex quibus Salomonem Glassium, theologum incomparabilem, Fridericum et Wilhelmum Lyseros, Andr. Keslerum, superintendentem Eisfeldensem, et Christianum Weberum, pastorem Halensem, nominasse sufficiat.

Ex eo quoque capite Gerhardus insigniter de academia Jenensi meritus est, quod sua opera suisque precibus effecit, ut dotibus non contemnendis augeretur. Quum enim baronatum *Rembda* et arcem *Apolda* duo feuda aperta esse intellexisset, serenissimorum Principum, Joannis Philippi et Wilhelmi, animum permovit, ut haec praedia cum omnibus pagis, reditibus ac proventibus annuis academiae Salanae iure hereditario possidenda traderentur. Ut gratum ideo animum academia erga Gerhardum, huius donationis ipsi factae proxenetam, testaretur, perpetuum eorum praediorum provisorem illum anno 1634. constituit. Persuasit quoque Gerhardus Joanni Casimiro, optimo principi, quem supra iam laudavimus, nec non reverendissimae atque illustrissimae Abbatissae Quedlinburgensi, Dorotheae Sophiae, ut academiae Jenensi legata valde munifica designarent. Et quis vel bona omnia, quae a Gerhardo nostro in hanc academiam profecta sunt, enumeret; vel quam sollicite mala et pericula, quae in bello tristissimo tricennali saepius imminebant, ab ea averruncare annisus sit, satis digne depraedicet? Audiamus tantum Jo. Michaelem Dilherrum, qui merita Gerhardi in academiam Jenensem collata hisce verbis edisserit: *Si quis imminebat interitus, vindex erat Gerhardus. Si quis timebatur ictus, scutum erat Gerhardus. Si qua ingruebat tempestas, tectum erat Gerhardus. Si quis irruebat imber, sol erat Gerhardus* *).

Iam vero ubi de meritis Gerhardi nostri verba fecimus, haud praetermittendas esse censemus legationes, quas is academiae nomine diversis temporibus administravit. Anno 1633. a senatu academico *Vinariam* fuit ablegatus, nuptiis Alberti, Ducis Saxoniae, cum Dorothea, Friderici Guilelmi I. filia, academiae nomine interfuturus. Eodem anno ibidem exsequiis Gustavi Adolphi, Suecorum Regis, tanquam legatus universitatis interfuit. Anno subsequenti die 24. Mart., quo iusta funebria celsissimo Principi Joanni Casimiro, cui 27 annos omni fide inservierat Gerhardus, solverentur, rursus nomine publico ad ea peragenda missus est Noster Jenamque reversus optimo principi parentavit.

Ipsi etiam Principes eum ad legationes nonnullas ipsorum nomine administrandas idoneum iudicarunt. Ita a lineae Vinariensis Principibus anno 1627. missus est ad fratrem Joannem Fridericum, qui a Tillio ad Mindam captus Oldenslebii in custodia asservabatur, ut de certis quibusdam rebus cum illo colloqueretur. Eodem anno iussu Principis Wilhelmi Weidam Variscorum ad Electorem Saxoniae fuit ablegatus, a quo et perquam honorifice habitus, et torque aureo, ex quo effigies eius dependit, ornatus rediit. Ut alias eiusmodi legationes brevitatis studio haud memoremus.

Illud vero silentio praeterire haud possumus, varios theologorum conventus eo, quo Gerhardus floruit, aevo fuisse habitos, in quibus ipse praecipuas quasdam partes semper habuerat. Anno 1621. interfuit conventui *Jenensi*, in quo sigillatim de comprimendis conatibus Georgii Calixti et Cornelii Martini, professorum Helmstadiensium, qui in heterodoxiae suspicionem veniebant, nec non de continuanda *Harmonia Chemnitio-Lyseriana* cumprimis actum fuit. Anno 1624. in conventu *Lipsiensi* comparuit Noster, ubi controversia de statu exinanitionis Christi, inter theologos Tubingenses ac Giessenses agitata, sub examen vocata fuit. Anno 1628. alius *Lipsiae* celebratus est conventus, in quo praeter alios doctores theologos Gerhardus quoque praesto fuit. Inter multas alias deliberationes ecclesiae evangelicae salutem concernentes praecipua fuit illa, quam de controversia *Rathmanniana* **)

---

*) In *Laudatione funebr. p. 102.*

**) Haec controversia ab Hermanno Rathmanno, verbi divini apud Gedanenses ministro, viro alias docto ac pio, excitata nomenque nacta est. Statuit is, *1) verbo divino non inesse vim quandam atque efficaciam homines illuminandi atque convertendi, sed illi duntaxat adesse seu coëxsistere; 2) mutationes salutares, quae opus conversionis constituerent, non omnes effici per verbum, sed nonnullas a Spiritu sancto immediate, ante operationem verbi, aut cum illa et iuxta illam, collateraliter; ita ut alii effectus a verbo, alii vero a Spiritu S. immediate dependerent; 3) vim istam divinam homines illuminandi atque convertendi adesse quidem verbo divino in usu, sed non ante te extra usum.* Hosce

susceperunt theologi, qui et eiusdem decisionem, auctoritate Electoris institutam, in peculiari scripto Lipsiae 1629. edito dederunt, ad quam plurimum contulit Gerhardus noster. Examinatae etiam fuerunt in hocce conventu *quaestiones Jesuiticae* Augustano ministerio propositae. Criminabantur nimirum societatis Jesu sacerdotes, inprimis Dillingenses, Protestantes confessionem Augustanam, anno 1530. Carolo V. exhibitam, vel deseruisse, vel vitiasse, hincque pacis religiosae anno 1555. sanctae iuribus ac privilegiis non amplius frui posse, qua et penitus sublata tranquillitati imperii Romano germanici optime consuli posset. Ab iniuriosis hisce accusationibus ut ecclesia Lutherana solide defenderetur, theologi Saxonici ab Electore Jo. Georgio scriptum apologeticum componere iussi sunt. Quod et nulla interposita mora praestiterunt, edito opere, cui *Defensionis pupillae evangelicae* nomen ad negotii gravitatem declarandam imposuerunt*). Auctor huius scripti publica auctoritate in lucem editi erat Matthias Hoë ab Hohenegg, adiutus tamen aliorum nostrorum doctorum, Polycarpi nempe Lyseri, Henrici Hoepfneri, Guilelmi Lyseri, Jo. Hülsemanni, ac cumprimis Gerhardi nostri consiliis scriptionibusque. Certe Gerhardum scriptum hocce apologeticum primum delineasse, elaboratumque seorsum ab Hoëo ante conventum reliquorum theologorum accepisse, ex epistolis quibusdam nondum editis ostendit Fischerus**), vir doctissimus. Vix dici autem potest, quantas turbas fecerint Loiolitae, cum vindiciae hae in lucem publicam exiissent. Ediderunt mox plurimos libellos inficeto plerumque et ludicro stilo exaratos, quibus malam exornare caussam pergebant. Quare Elector Saxoniae anno 1630. ad diem 11. Aprilis denuo Lipsiam evocavit theologos Saxonicos, directoris partibus Matthiae Hoë datis. Huc itaque et Gerhardus noster se dicto die contulit atque conventui isti interfuit, in quo tum de aliis rebus ad ecclesiae evangelicae salutem spectantibus, tum et de nova imprimis apologia pupillae evangelicae Forero cumprimis ac Dillingensibus opponenda deliberatio fuit instituta. Convenit vero inter theologos, qui hic aderant, ut Matthias Hoë, quem supra iam laudavimus, scriptionis laborem in se susciperet, Gerhardus autem praecipua responsionis fundamenta litteris consignata eidem suppeditaret, prout pluribus observat Fischerus, modo nobis laudatus***). Atque sic vel tandem enata est *Iterata fundamentalis defensio pupillae* †), una voce a theologis Saxonicis, qui Lipsiae convenerant, approbata atque iussu Electoris Saxoniae in lucem publicam edita.

---

errores ita tueri ac defendere conatus est Rathmannus, ut subinde ad b. Lutherum aliosque, qui idem sentirent, provocaret. Quum vero hac ratione multorum perturbaret animos, et controversia haec, quae ab initio privata duntaxat erat, in publicam deinceps erumperet inque omnibus fere academiis de hocce argumento disputaretur, consultum esse videbatur Jo. Georgio, Electori Saxoniae, si errores isti Rathmanniani scripto quodam publico solide profligarentur. Hinc iussu ipsius atque auctoritate oppositum fuit Rathmanno scriptum illud, quod supra innuimus et in fronte hanc gerit inscriptionem: *Der reinen, wahren evangelischen Kirchen und ungeänderten augspurgischen Confession zugethaner Theologen wiederholte richtige, gründliche und unwiderlegliche Lehre von der heiligen Schrift; oder dem heiligen geoffenbarten Worte Gottes, was dasselbe seiner Natur und Eigenschaft nach sey, und dass es die Kraft und Vermögen zu erleuchten, zu bekehren und seelig zu machen, wahrhaftig vor und in dem Gebrauch in und bey sich habe.*

*) Prodiit hicce liber Lipsiae anno 1628 hac insignitus inscriptione: *Nothwendige Vertheidigung des heiligen römischen Reichs evangelischer Churfürsten und Stände Augapfels, nemlich der wahren, reinen, ungeänderten, Kayser Carln dem fünften, höchstlöblicher Gedächtniss, anno 1530 übergebenen augspurgischen Confession und des auf dieselbe gerichteten höchstverpönten Religionsfriedens* etc.

**) In *Vita Jo. Gerhardi p. 130.*

***) *loc. excitato p. 131. 132.*

†) Inscriptio libri haec est: *Nochmalige, unvermeidentliche und gründliche Hauptvertheidigung des heiligen römischen Reichs evangelischer Churfürsten und Stände hochwerthesten Augapfels und theuren Kleinod, nemlich der wahren, reinen, unveränderten augspurgischen Confession und des darauf gerichteten hochverpönten Religionsfriedens, entgegengesezet allen denen giftigen, lermenbläserischen Scarteken und Lästerschriften, so bishero wider den chursächsischen evangelischen Augapfel von Mönchen und Jesuiten ausgeflogen* etc. Liber hic iussu Electoris Saxoniae conscriptus publicique iuris factus est Lipsiae anno 1630. fol. atque recusus annis 1631. 4. 1673. 4.

Iis, quae hactenus disseruimus, hoc quoque addi meretur, quod Gerhardus noster a Principibus in variis caussis, iisque subinde gravissimis, de consilio suo fuerit rogatus. Consultus certe fuit ab Electore Saxoniae Jo. Georgio I. in caussa maxime ardua eo tempore, quo ferale illud bellum inter Ferdinandum II. Imperatorem et Bohemos exardesceret. Consultus etiam fuit a Wilhelmo Duce Vinariensi in variis caussis variisque temporibus, cumprimis ubi deliberatum fuit, utrum pacificatio Pragensis a serenissimo Wilhelmo sit acceptanda? quam quidem celsissimo Principi omni ratione suasit Gerhardus noster. Consultus porro fuit a Jo. Philippo, Duce Altenburgensi, Ernesto, Duce Saxo-Gothano, cui spectatissima virtus Pii cognomen peperit, itemque a Georgio, Hassiae Landgravio, aliisque, qui et frequentes ad eum litteras dederunt et familiaria saepe cum eo habuerunt colloquia.

Quamvis ex tot Heldburgi adhuc datis repulsis tum academiae in Germania florentes, tum ecclesiae celebriores facile intelligere potuissent, Gerhardum Jenam sibi carissimam tandem translatum, inde nullo modo evocatum iri; tamen eximio Gerhardi desiderio captae experiri id voluerunt. Anno 1616. ad superintendentis in comitatu Schaumburgico et professoris in gymnasio Stadthagensi primarii dignitatem ei patuit aditus. Anno 1617. consilia in Borussia agitabantur de deferendo ei episcopatu Pomezaniensi. Annis 1620. et 1623. Lipsiensis academia, anno 1621. Argentoratensis, anno 1622. Rostochiensis, anno 1624. Upsaliensis, 1626. Marpurgensis, denuo Evangelicis restituta, et anno 1627. Vitembergensis Gerhardum suum esse voluerunt. Praeterea et Lubecenses et Halberstadienses et vel ipse Daniae Rex Fridericus II., qui Soranum gymnasium ornare volebat, eundem frustra sibi expetierunt. Neque mirum est, tantam apud omnes sui excitasse attentionem, qui fere totius Germaniae praeceptor celebratissimus exstitit. Dabimus hic brevem duntaxat catalogum eorum, qui in orbe litterario et christiano pariter inclaruerunt et vero praecipue a Gerhardo formati esse dici possunt. In iis vero est Michael Waltherus, ecclesiarum Lubecensium superintendens generalis, Salomon Glassius, dignissimus Gerhardi in cathedra Jenensi successor, praesulis Gothani munere postea ornatus, Jo. Georgius Dorscheus, theologus primum Argentoratensis, postea Rostochiensis, Jo. Conradus Danhauerus, theologus Argentoratensis, Petrus Haberkornius, Giessensis theologus, Petrus Winstrupius, Danus, archiepiscopus Lundensis in Scania et academiae Carolinae cancellarius, Jo. Musaeus, theologus Jenensis, Christianus Dreierus, Helmstadiensis theologus, Daniel Henrici, theologus Lipsiensis, Jo. Matth. Meyfartus, theologus Erfurdensis, Caspar Sagittarius, historiarum in academia Jenensi professor, Andr. Senertus, linguarum orientalium in academia Vitembergensi professor, Christianus Chemnitius, theologus Jenensis, Theodor. Hackspanius LL. OO. professor in universitate Altorfina, Fridericus et Wilhelmus Lyserus, et quot non alia celebria in orbe litterario nomina? Pauci profecto ea aetate floruerunt viri, praeclaris in ecclesiam evangelicam ac rempublicam litterariam meritis conspicui, de quibus Gerhardus noster illud Senecae ad *Lucilium* non potuerit iure usurpare: *Assero te mihi, meum opus es* *).

Dedimus hactenus brevem historiam vitae praeclarae Gerhardi nostri publicae, nunc breviorem vitae privatae dabimus. Vidimus theologum praestantissimum in cathedra academica sacros iuvenes formantem feliciter in viros Dei. Contemplati sumus non sine admiratione insignia eius in universam ecclesiam puriorem, in orbem litterarium, in academiam Jenensem, quin in ipsas summorum principum aulas merita, nulla unquam oblivione obscuranda. Nunc videamus eximium huncce theologum in propriis aedibus thalamisque suis domum quoque sibi constituentem.

Primam thori sociam anno 1608. adscivit Barbaram Neumeyeram, virginem pudi-

*) Seneca *epist.* 34.

cissimam, Jo. Georgii Neumeyeri et Elisabethae, quae Jacobum Schroederum, consulem Vinariensem, patrem habuerat, filiam. Mater vero, iam tum defuncto primo marito, iterum D. Jo. Stromero nupserat, et hoc quoque mortuo a D. Jo. Maiore in matrimonium cooptata est. Cum hac igitur Barbara Gerhardus noster die 29. Aprilis sponsalia et die 19. Septembris nuptias Vinariae celebravit, quarum solemnitatibus serenissimorum Principum Jo. Casimiri et Joannis Ernesti itemque illustrissimae Principis Vinariensis et reverendissimae Abbatissae Quedlinburgensis legati interfuerunt. Licet vero exoptatissimum esset hocce connubium, diuturnum tamen non fuit. Postquam enim haec Gerhardi coniux exeunte anno 1610. primo eoque difficillimo partu filiolum esset enixa, sub auspicium subsequentis anni rursus denatum; ipsa in morbum gravissimum implicita anno aetatis decimo septimo, coniugii vero tertio nondum completo, die 30. Maii anno 1611. vitam cum morte commutavit. Gerhardus noster, moestissimus iam factus viduus, et uxori desideratissimae, et unico, quem illa pepererat, filiolo Heldburgi in templo oppidano posuit monumentum, in quo ipsius quoque annus et dies emortualis inscribi aliquando posset, tanquam ingentis sui desiderii tesseram.

Ad altera vota non transiit nisi triennio elapso, quo Mariam Mattenbergiam, patris Jo. Mattenbergii, medicinae doctoris et consulis Gothani, matris vero Catharinae, ex *Pezoldiorum* gente oriundae, filiam, in thorum sibi adscivit. Nuptias celebravit in arce Heldburgensi anno 1614. Kalendis Martii. Ipse Joannes Casimirus cum Electoris Saxonici legato sponsum in templum deduxit atque per quadriduum nuptiarum solemnitates sua praesentia illustravit. Haec coniux, quam tenerrimo nec unquam interrupto dilexit amore, per tres et viginti annos illi fuit sociata totidemque annos ei superstes fuit, die demum 30. Martii anni 1660. rebus humanis exemta. Sobolem admodum numerosam ex hocce matrimonio vidit Gerhardus, ex decem tamen liberis sex tantum, quum in patriam coelestem intraret, reliquit impuberes.

Filiarum altera Elisabetha anno 1643. nupsit Simoni Trandorffio, pastori Cahlensi atque ephoriae Orlamundanae adiuncto; altera vero, natu minor, primum anno 1652. nacta est maritum Jo. Volckium, artis salutaris doctorem et practicum Gothanum, deinceps, hoc mortuo, 1658 Christian. Chemnitium, professorem et superintendentem Jenensem, tum temporis viduum.

Ex filiis natu maximus, Jo. Ernestus Gerhardus, magnam nominis nactus est celebritatem. Anno 1621. Jenae natus cum esset, mature litterarum bonarum praeceptoribus traditus est atque iam 1637. ad subsellia academica sese contulit. In litteratura orientali plurimum praestitit atque tum in aliis litterarum generibus, tum in hoc scripta edidit minime contemnenda. Confecto itinere litterario primum professor historiarum publicus in academia Jenensi fuit constitutus, deinde vero anno 1655. arduo professoris theologi muneri admotus. Tandem anno 1668. insigne sui desiderium relinquens rebus hisce humanis ereptus est. In matrimonio habuit Catharinam Elisabetham, viduam Schelhammeri, medicinae in academia Jenensi professoris, ex qua praeter duas filias totidem suscepit filios, quorum alter Jo. Fridericus tandem comiti Schwarzburgico ab aulae et consistorii consiliis fuit; alter vero Jo. Ernestus professionem theologicam Giessensem exornavit. Uterque multis meritis inclutus magnamque famam consecutus est.

Secundus Gerhardi nostri filius, Joannes Gerhardus, natus Jenae anno 1625 cum in omni eruditionis genere iam egregie esset versatus, ita ut cum eruditissimis istius aetatis viris frequens ipsi intercederet commercium litterarium, in optimo aetatis flore praematura morte abreptus est Jenae anno 1647.

Tertius eiusdem filius, Jo. Fridericus Gerhardus, Jenae anno 1631. in lucem editus, in academia patria litteris operam dedit. Anno 1664. doctoris theologi dignitatem

eidem contulit ipsius frater Jo. Ernestus, brabeutes. Diu in academia Jenensi versatus, praeter alia scripta, *Speculum religionis pontificiae* edidit. Tandem Eisenbergensium antistes evasit atque anno 1667. praepropera morte obiit.

Superest quartus Nostri filius isque natu minimus, Joannes Andreas Gerhardus, qui lucem hanc adspexerat anno 1634. Is summis in iure honoribus Jenae impetratis, 1661. et sequentibus annis varia per Galliam, Angliam, Germaniam, immo et Hungariam instituit itinera atque redux factus consiliarius aulicus primum Principis Anhaltini, Servestae sedem habentis; deinceps vero Altenburgi aulae et regiminis consiliarius constitutus est, ubi et anno 1681. die 11. Septembris mortalitatem explevit.

Multa quoque alia de stirpe Gerhardiana dici hic possent commemoratione haud indigna; sed instituti nostri id prohibet brevitas.

Pergimus itaque ad reliqua Gerhardi nostri fata, tam prospera, quam adversa.

Meretur sane Gerhardus fortunatis accenseri viris, si consideremus, eum non tantum numerosam habuisse prolem, sed et facultates suas, non turpi lucro ac sordida avaritia, sed ampla coniugum dote, Principum munificentia aliisque rationibus longe honestissimis, plurimum adauxisse adeoque et comparandae bibliothecae non exquisitae duntaxat, sed et numerosae omnino parem fuisse. In tanta insuper apud summos imperii principes gratia fuit, ut et familiaria saepe cum eo colloquia instituerent et frequentes ad eum litteras exararent singularis clementiae significatione plenissimas. Quin tanta apud omnes valuit auctoritate, ut, cum saepissime sententia eius rogaretur, quosnam varii generis officiis praeficiendos esse existimaret, ista nunquam non oraculi instar haberetur.

Verum rebus hisce secundis sese quaedam, ut in humana hac rerum conditione fieri assolet, adversitates immiscuerunt. Cum multis praesertim corporis infirmitatibus, quas pertinacibus suis laboribus atque molestis etiam itineribus non tam contraxerat sibi, quam auxerat, saepius conflictatus est Noster. Accessere ad haec tristissima illa belli tricennalis tempora, in quibus non tantum ii, qui in castris Imperatoris militabant, sed et milites Suecici eum per insidias capere in animum induxerunt. Quod ad milites caesareanos attinet, iis vel eapropter Gerhardus in magno fuit odio, quod is crassos romanae ecclesiae errores solide confutaverat. Sueci vero illi eam maxime ob rationem erant infensi, quod elegiam eucharisticam pro pace Pragensi, Suecis tantopere exosa, adornaverat. Quum vero vitae Gerhardi nocere haud potuerint hostes, in bona ipsius varia intulerunt mala. Ita Sueci anno 1636. ex praedio Gerhardiano Roslaviensi omnia pecora abegerunt, bona diripuerunt, duo eius horrea frugibus plena ut et armentorum stabula in cineres redegerunt. Supervenerunt imperatorii milites, qui irruptione in urbem Jenam facta Gerhardi pretiosam supellectilem fere omnem, e vasis aureis atque argenteis constantem, depraedati sunt. Per duplex hocce damnum quinquies mille aureorum iacturam se fecisse, ipse confirmavit Gerhardus. Neque tamen ideo fractus est eius animus: ad aliquos enim amicos cum scriberet, verba Hiobi sibi propria fecit, quae leguntur *cap. I. vers. 21.* et aliquando exporrecta fronte Joanni Maiori dixit: *Me vero damnum datum minime angit et sollicitum habet; largiori enim iam pecunia, quam antea unquam, fortunante divino numine affluo.*

Sub hisce vero calamitatibus publicis, quae magis Gerhardi animum, quam privatae affligebant, vir hic immortalis memoriae, cuius insimul labores indefessi sensim sensimque exhauserant vires, ad suae vitae finem properavit. Praesagiens animus ipsi, ad Glassium amicum suum scribenti, sex mensibus antequam in morbum implicaretur, haec verba in calamum dictarat: *Metae videor mihi proximus;* quae verba quum legisset Glassius, a lacrumis sibi temperare haud potuit.

Anno 1637. mense Maio primum febrem ardentem sibi imminere sensit, quam vero celeri adhibita medicina hac vice feliciter depulit. Mense vero Augusto recursavit omne

malum atque mox ita invaluit, ut intra quinque dierum spatium, penitus confectus viribus, die 17. Augusti animam piam et Christi sanguine perpurgatam efflaret. Quam fidei plenus suas caritates divinae commendarit providentiae; quanta cum animi contritione peccatorum suorum ediderit confessionem; quanta animi teneritudine optimis suis collegis, Jo. Maiori et Jo. Himmelio, ideo ad se arcessitis valedixerit; quam sollicite, raro admodum exemplo, de sufficiendo in suum locum theologo idoneo disposuerit, id quidem omne verbis vix exprimi potest.

Ut tandem de funere beati viri aliquid subiungamus, notamus paucis, factum illud esse die vigesimo Augusti, atque exanime corpus templo S. Michaelis Jenae fuisse illatum. Quantum ex obitu tanti theologi dolorem ceperit cuncta academia Salana, vix opus esse arbitramur, ut copiose hic edisseramus. Programma exsequiale omnia complectitur, dum ita desinit: *Concurrite, concurrite cives academici! fundamina academiae concussa sunt! Adeste! lugete! funebri Gerhardi capulo humeros vestros supponite! exsequias catervatim, catervatim honorate! funus maioris theologi Jena non vidit, an visura? lugete, plangite omnes boni!*

Ceterum Gerhardus, ut eundem ex vero descripsit amicus quidam, *statura erat commendabilis; vultus habitu gravis, sed tamen liberalis, eloquio iucundus; gestibus inaffectatus. Quam excellenti ingenio, festivo etiam inter amicos, quam acri iudicio, quam stupenda memoria valuerit, quam concatenato labore atque industria omnia negotia tractaverit, quam accuratus in maximis et in minimis fuerit; de eo quidem scripta, res gestae, vitae eius rationes omnes uberrime testantur. Quod habitum illius moralem attinet, pius fuit supremique numinis reverens; beneficus, liberalis, misericors, humanus, mansuetus, socialis, concors, gratus, sobrius, αὐτάρκης, patiens, constans. Nulli fere theologorum obtigit, quod ipsi, ut ab obtrectationibus adeo tutus esset atque ut a dissentientibus ipsis tantis laudibus efferretur. Orthodoxiae ita fuit studiosus, ut nec vehementius in adversarios inveheretur, et vero, si vel verbulum scripserat, quod in sinistram trahi explicationem inaudiret, lubenti atque sedato animo omitteret cumque aliis phrasibus commutaret.*

Possemus hoc loco copiose recensere varia elogia, quae viri doctissimi iure meritoque tribuerunt Gerhardo nostro, si praefationis limites id paterentur. Dabimus tamen ex multis unum duntaxat alterumque. Salomon Glassius, dignus Gerhardo successor, eum nominavit *principem theologorum, lumen et universitatis Jenensis, et totius christiani orbis, columnam fortem firmamque in domo Domini, sidus illud in regno coelorum praelustre, heroëm illum in debellandis devincendisque tot haereticorum phalangibus animosissimum, exemplar illud evidens eminensque pietatis omnis et veri divini cultus, speculum illud purum tersumque quarumcunque virtutum viros Dei decentium; carum illud Deo praepotenti pectus, delicias illas mentium Jesu addictarum**) etc. Glassio adiungimus Matthiam Hoë ab Hohenegg, magni pariter nominis theologum, qui Gerhardum in suis ad ipsum epistolis non aliter appellare solitus est, quam *archi-theologum meritissimum et dignissimum: theologorum antesignanum: lumen et columen christianae reipublicae: theologorum antecessorem: theologorum phosphorum: oculum theologorum.* Quin et multi alii gravissimorum in ecclesia nostra virorum asserere non dubitarunt, tres palmam omnibus theologis praeripuisse, scilicet Lutherum, Chemnitium atque Gerhardum. Ex ipsis ecclesiae romanae doctoribus Jacobus Benignus Bossuetus, episcopus quondam Meldensis, eundem ex ore Lutheranorum appellavit *le troisième homme de la Reforme après Luther et Chemnice***), et Ludov. Ellies du Pin, celeberrimus iste doctor Sorbonnicus, eidem post Melanthonem inter Lutheranos primas detulit***). Ut alia virorum praestantissimorum in Gerhardum nostrum

---

*) Vid. Glassium, in *Anniversaria b. Gerhardi memoria, p. 69 seqq.*

**) Vid. eius *Histoire des variations des églises protestantes, tom. II. p. 455.*

***) Dans la bibliothèque *des auteurs ecclesiast. du 17. siècle, tom. II.*

elogia, veluti Jo. Valentini Andreae, Samuelis Benedicti Carpzovii, Augusti Buchneri, Viti Ludovici a Seckendorff, itemque theologorum reformatorum, Hoornbeckii, Riveti, Jo. Ludovici Fabricii, Petri Juriaei aliorumque in rerum praesentia haud memoremus.

Non defuerunt tamen, ne quid dissimulemus, homines quidam malevoli ac calumniatores, qui in optimum virum, verae sanaeque doctrinae tenacissimum, virus suum evomere eundemque collusionis cum Weigelianis et fratribus Roseae crucis insimulare inque ἑτεροδοξίας suspicionem adducere neutiquam dubitarunt. Quam suspicionem quamvis scripta eius omnia ab ipso satis superque removerent, caussas tamen sat graves se habere credidit vir innocentissimus, quam ob rem sycophantis sequens carmen lectu dignissimum opponeret:

Qui studium hoc aevo pietatis gnaviter urget
Et sophies partem tractat utramque sacrae;
Ille Rosae crucius et Weigelianus habetur,
Et nota turpis ei scribitur haereseos.
De me non verita est virosa calumnia id ipsum
Spargere et his nugis conciliare fidem.
O coecas hominum mentes! o pectora coeca!
O sine iudicio debile iudicium!
Discite quaeso prius, quis vere Weigelianus?
Quisve Rosae crucius? discite quaeso prius.
Dispellunt radii solares nubila coeli,
Lux veri e falsis clarior emicuit.

Nec hoc silentio praetermittendum hic est, Gerhardum nostrum nonnullos nactum esse adversarios, ex Romanensibus quidem Gisbertum Lappium, qui Albertum Pighium, ex scriptis contra b. Lutherum editis satis notum, contra Gerhardum defendere annisus est; et Philippum Caroli, qui olim Altdorfi bonas litteras docuit, sed deserta professione sua ad Romanensium sacra transiit atque *Triumphum antiquae fidei* luci publicae exposuit; ex coetus vero reformati doctoribus Marcum Fridericum Wendelinum, theologum haud incelebrem, qui *Collegio* Gerhardi *Anti-Wendeliano* opposuit *Exercitationes theologicas vindices pro theologia christiana,* excusas Casellis a. 1652., recusas 1669. in 4.

Verum haec quidem scripta, si fortassis Wendelini exercitationes modo excitatas, quas vero Christophorus Franckius, theologus quondam Kiloniensis, confutavit, excipias, adeo exigui pretii sunt, ut vix aliquam mereantur attentionem.

Id magis operae pretium esse arbitramur, ut de ipsius Gerhardi nostri libris in lucem publicam editis nonnulla hic dicamus. Sunt enim multiplici eruditione referti acerrimoque elaborati iudicio ac proinde lectu dignissimi. Tantus vero eorum est numerus, ut dicere liceat cum Augusto Buchnero:

Ipse autem tam multa stilo qui lecta regessit,
Scilicet esse unus bibliotheca potest.

Recensebimus autem primo loco maiora eius opera, de reliquis eius scriptis deinceps nonnulla dicturi.

Primum inter illa locum merito damus eiusdem *Locis theologicis*, quos Gerhardus, iuvenis 27 annorum, anno 1610. Heldburgi auspicatus est, cum sacrorum ibidem antistitis munere fungeretur. Continuavit vero arduum hocce opus Coburgi finemque tandem eidem imposuit Jenae a. 1621. dominica Reminiscere. Absolvitur illud 9 tomis, quos anno 1625. insecuta demum est *Exegesis* sive uberior explicatio articulorum in tomo 1. locorum concisius tractatorum. Variae huius operis habentur editiones; prima est Jenensis, forma quadri-

fariam partita, annis 1610.—1625. typis exscripta, cui hodienum suum constat pretium. Hanc excepit Genevensis, tribus constans voluminibus, quae anno 1639. in fol. lucem adspexit publicam. Secuta deinceps est tertia eaque auctior, cura *Jo. Ernesti Gerhardi*, Jo. filii, Francofurti et Hamburgi 1657 fol. itidem tribus voluminibus. Huic editioni accesserunt annotationes, quas b. auctor in ora exempli sui adscripserat, editor autem textui huius editionis inseruit; ita tamen, ut singulae asteriscis fuerint notatae. In votis equidem vir beatus habuit, ut hocce opus, quod eius quasi primum et praecipuum est, denuo perlustrare et perpolire posset; sed propter alia, quibus obrutus erat, negotia hoc ei non licuit. Omnes tamen, qui a partium studio sunt alieni, facile nobiscum fatebuntur, *eximium hocce esse Gerhardi opus longeque praestantissimum et quod omnibus eiusdem generis dubiam reddat palmam, in quo etiam diligentia stupenda, profunda et exquisita eruditio eluceat* *).

Alterum Gerhardi opus, quod priori iure meritoque ad latus ponimus, hac insignitum est inscriptione: *Confessio catholica, in qua doctrina catholica et evangelica, quam ecclesiae Augustanae addictae profitentur, ex romano-catholicorum scriptorum suffragiis confirmatur.* Liber primus huius operis isque *generalis*, duabus constans partibus, prodiit Jenae exeunte anno 1633. in 4. Libri autem *secundi* seu *specialis* pars *prima* anno 1634. pars *secunda* anno 1636. et pars *tertia* denique seu ultima anno 1637. Deficientibus primae editionis exemplaribus, libri, separatim olim editi, iunctim fuerunt recusi Francofurti et Lipsiae, a. 1679. in fol. Atque haec posterior editio priore longe est praestantior, eo quod accessionibus quibusdam est adaucta atque indice peculiari instructa. Maximam sumtuum partem in novam hancce editionem fecit Fridericus I. Dux Saxoniae Gothanus, isque gloriosissimus, unde et eidem eiusque coniugi, Magdalenae Sibyllae, opus hocce nuncupavit Jo. Andreas Gerhardus, filius Gerhardi natu minimus. Christianus Chemnitius, eximius quondam academiae Jenensis theologus, *omnium Gerhardinorum laborum et librorum hunc esse optimum* iudicavit**); quin Gerhardum *ceteris suis in scriptis alios, hoc vero in opere se ipsum superasse*, pronuntiarunt Hieronymus Praetorius atque Jo. Henricus Feustkingius. Ut alia huius generis elogia, quae in scriptis nostrorum theologorum passim occurrunt, in rerum praesentia taceamus***). Ratio disputandi, quam Gerhardus hic adoptavit, eadem est, qua antiqui coetus christiani doctores, Justinus, Tertullianus, Athenagoras, Clemens Alexandrinus, Arnobius aliique olim contra gentiles usi sunt, qui ex propria illorum doctrina atque hypothesibus argumenta, quibus religionis christianae veritas comprobatur, desumserunt. Eandem viam ante Gerhardum ingressus est ex nostris theologis Matthias Flacius Illyricus in *Catalogo testium veritatis*, et Andreas Osiander in *Papa non papa.* Quin ipse Gerhardus in *Bellarmino orthodoxiae teste* ****) specimen istius methodi iam dederat; cuius exemplum deinceps secuti sunt Jo. Georgius Dorscheus†), Antonius

---

*) Utimur hic verbis b. Buddei, theologi iudiciosissimi, quae leguntur in eiusdem *Isagog. hist. theol. in theol. univers. p. 393.* Plura testimonia atque elogia qui legere voluerit, adeat Hulsemannum in *Meth. stud. theol. p. 299*, Jo. Benedictum Carpzovium *Theol. exeg. 2*, Jo. Fechtium in disput. *de studii biblici cum systematico coniunctione §. 14*, Jo. Guilelmum Zieroldum in *Einleitung zur gründlichen Kirchenhistorie, p. 396*, Jo. Henricum Hottingerum in *Bibliothecario*, quem vocat, *quadripartito, p. 402*, Jo. Fabricium in *Hist. bibliothecae part. 2. p. 175 seqq.*, Michaelem Lilienthalium in *Theologische Bibliothek tom 1. sect. 4. art. 8. p. 405 seqq.* et cumprimis Fischerum saepius iam laudatum in *Vita Gerhardi p. 393 seqq.*

**) Vid. *praefationem* novae editioni *Confessionis catholicae* praemissam.

***) Legi ea possunt apud Fischerum in *Vita Gerhardi p. 405 seqq.*

****) Tribus hoc opus partibus constat, quarum prima Jenae anno 1631. ultima anno 1633. ibidem lucem adspexit publicam.

†) In *Thoma Aquinate, exhibito confessore veritatis evangelicae* etc. Francofurti 1656. 4.

Reiserus *), Melchior Nicolai**), Paulus Colomesius ***), Samuel Stryckius †), Jo. Christoph. Pfaffius ††), theologus Tubingensis, Ernestus Salomon Cyprianus †††), theologus Gothanus, aliique, quos nominare supersedemus.

Tertium opus, quo Gerhardus theologiam cumprimis exegeticam egregie illustravit, est *Harmoniae evangelicae Chemnitio-Lyserianae continuatio.* Constat, Martinum Chemnitium, theologum incomparabilem atque ecclesiae Brunsvicensis quondam superintendentem, conscripsisse Harmoniam evangelicam, sed morte praeventum vix dimidiam eius partem absolvisse. Hinc Polycarpo Lysero, qui Chemnitio in munere sacro successit, nata est occasio, opus hocce eximium editis annis 1603. et 1608. aliquot adhuc libris amplificandi. Neque tamen laborem hunc ad finem perducere integrum viro optimo per fata licuit. Reservatum id erat Gerhardo nostro, qui iam anno 1617. *Commentarios in harmoniam historiae evangelicae de passione, crucifixione, morte et sepultura Christi* etc. itemque *in harmoniam historiae evangelicae de resurrectione et ascensione Christi salvatoris nostri* etc. Jenae luci publicae exposuit. Licet vero bini isti libri eadem methodo, quae in *Harmonia Chemnitio-Lyseriana* deprehenditur, essent concinnati summoque iure nomen continuationis huius harmoniae mererentur, Gerhardus tamen, qua erat modestia, titulum hunc adhibere noluit, ingenue professus, se neque ea ingenii praestantia, neque ea eruditionis copia instructum esse, ut tantorum virorum labores plane eximios eadem dexteritate eodemque filo ac stilo continuare possit *†). Tandem vero multorum magnorumque theologorum auctoritas commovit Gerhardum nostrum ad arduum hocce opus aggrediendum. Finitis itaque locorum theologicorum tomis, anno 1624. manum operi admovere coepit idque intra triennii circiter spatium absolvit feliciter. Constat vero haec Gerhardi continuatio, qua harmoniae evangelicae colophonem imposuit, tribus partibus, quarum prima anno 1626. secunda et tertia vero 1627. lucem adspexit publicam. Atque hac ratione triumvirorum praestantissimorum labores in historiam evangelicam insumti primum seorsim prodierunt, donec tandem opus integrum et Genevae anno 1628. et Roterodami anno 1646. fol. excuderetur. Hasce vero editiones insecuta deinceps est editio Hamburgensis, quae anno 1652. prodiit atque prioribus editionibus ceu plenior et accuratior praeferenda est. Recentissima denique editio ea est, quae Hamburgi anno 1704. fol. in tres distincta tomos necessariisque instructa indicibus typis fuit exscripta. Praeclare ut de integro opere, ita cumprimis de continuatione Gerhardi sensisse doctissimos magnaeque auctoritatis viros, ex elogiis, quae partim in novissimis operis huius editionibus, partim vero in Vita Gerhardi a Fischero concinnata leguntur, patet luculenter **†). Et

---

*) Is caussam Dorschei contra Thom. Leonhardi, scriptorem pontificium, strenue egit in *Vindiciis evangelico-thomisticis* etc. Ulm. 1667. 4.

**) In *Lutheranismo ante Lutherum,* Francofurti 1658. 4.

***) Huc pertinet eius *Rome protestante, ou temoignages de plusieurs catholiques Romains en faveur de la créance et de la pratique des protestants*, Londin. 1635. 8. Insertus postea fuit hicce liber eius *Operibus* a Fabricio Hamburgi 1709. editis, p. 731.

†) In *Praesidio religionis evangelicae ex iure canonico*, post mortem eius Francofurti 1722. edito.

††) Is dudum ante Stryckium *Dogmata protestantium ex iure canonico et conciliis deducta*, Tubingae 1712. 4. edidit, recusa ibidem 1722. 4. cum praefatione Christophori Matthiae Pfaffii, ubi et de auctoribus disserit, qui testes veritatis in ecclesia romana data opera recensuerunt.

†††) Pertinet huc praeter alia eius scripta cumprimis illud, quod primum *Hilariis evangelicis* adiunxit, brevi post autem seorsim edidit, hac insignitum inscriptione: *Ueberzeugende Belehrung vom Ursprung und Wachsthum des Papstthums* etc. Gothae 1719. Lipsiae 1720. 1726. Prodiit quoque Francofurti cum accessionibus quibusdam 1736. 8. et belgice Hag. Comit. 1731. 8.

*†) Vid. Gerhardi *Dedicationem commentario in hist. passionis* praemissam, sub finem.

**†) Testimoniis a Fischero adductis adiungimus unicum idque Friderici Adolphi Lampii, theologi reformati longe doctissimi, qui in *Commentario in Joannem tom. 1. p. 264.* opus Gerhardianum ita congestum esse scribit, *ut sigillatim in Joannis evangelium a cap. 11. ad finem usque commentarium luculentum, litteralem et theologicum doctrinaque varia refertum exhibeat. Eousque, ut eius commen-*

sane si componamus symbolas, quas triumviri isti prorsus egregii, Chemnitius, Lyserus et Gerhardus, ad opus hocce, quod vere aureum est, contulerunt, facile observabimus, Chemnitium in eo laborasse multum, Lyserum plus, Gerhardum plurimum, prout ex vero iudicavit Jacobus Fridericus Reimmannus*), vir doctissimus.

Recensitis maioribus Gerhardi nostri operibus de reliquis eius scriptis, iisque minoribus, quibus varias eruditionis theologicae partes illustravit, pauca dicemus. Ut vero ab iis, quae ad theologiam *exegeticam* spectant, dicendi capiamus initium, notamus paucis, Gerhardum praeter *Harmoniam evangelicam,* modo nobis laudatam, complura alia scripsisse, quae huic studio plurimum inserviant. Pertinet huc eiusdem *Tractatus de legitima scripturae sacrae interpretatione*, qui seorsim primum Jenae a. 1610. 4. prodiit, mox vero ab eo *tomo primo locorum theologicorum* totidem verbis insertus est. Cumprimis vero huc spectant eiusdem commentarii in varios sacrae scripturae libros post obitum b. auctoris demum editi. Inter hos principem locum tenet eius *Commentarius super Genesin*, *in quo textus declaratur, quaestiones dubiae solvuntur, observationes eruuntur et loca in speciem pugnantia conciliantur.* Est quidem hic foetus posthumus, ab ipso tamen b. auctore ad finem productus praestantissimisque commentariis iure meritoque annumerandus, editus Jenae a. 1637. et 1654. 4. Nec contemnendus est eiusdem *Commentarius super Deuteronomium,* quem b. auctoris filius Jo. Ernestus Jenae a. 1657. 4. luci publicae exposuit. Licet enim Gerhardus noster morte prohibitus eundem ad finem perducere haud potuerit, sed in *commate 8. capitis 27.* substiterit, luculentus tamen ille est atque eruditus utilissimisque refertus observationibus Prodierunt quoque Gerhardi nostri *Annotationes posthumae in psalmos quinque priores* itemque *in prophetas Amos et Jonam*, Jenae 1663 4. nec non eodem anno eiusdem *Annotationes posthumae in evangelium Matthaei,* quas Jo. Ernestus Gerhardus *analectis* adauxit. Fuerunt tamen viri quidam docti, qui hasce annotationes b. auctoris famae haud respondere iudicarunt. Exstant porro eiusdem *Aphorismi ex evangelista Joanne seu collegium aphoristicum Joanneum,* Jenae 1631 et 1633 4. nec non *Annotationes posthumae in acta apostolorum*, auctae *analectis* Jo. Ernesti Gerhardi, Jenae 1669 et 1674, quas deinceps recudi curavit Jo. Fechtius, theologus Rostochiensis, qui et Dan. Arcularii et Jo. Canuti Lenaei in eadem *Apostolorum acta* observationes adiecit atque Hamburgi evulgavit anno 1713. 4. Ipse tamen laudatissimus Fechtius in *praefatione,* quam huic libro praemisit, haud potuit, *nondum divitias in actorum libro repositas*, *sufficienti indagine* diffiteri *hic erutas esse et oculis expositas.* Prodierunt porro Gerhardi nostri *Annotationes posthumae in epistolam ad Romanos,* cum *analectis* Jo. Ern. Gerhardi, Jenae 1666 et 1676 4. itemque *Annotationes posthumae in epistolam ad Colossenses*, pariter cum Jo. Ernesti *analectis,* Jenae 1660. 4. nec non *Annotationes ad utramque Pauli ad Timotheum epistolam*, quas itidem Jo. Ernestus Gerhardus in publicum emisit, licet in epistola dedicatoria ingenue fassus sit, foetum hunc adhuc imperfectum esse. Magis sese commendat *Commentarius in Ebraeos*, Jenae 1641 et 1661 4. excusus, qui satis plene a b. auctore fuit elaboratus. Cumprimis vero *Commentarius super priorem ac posteriorem Petri epistolam* summo studio atque diligentia a b. viro fuit concinnatus ceterisque eius scriptis exegeticis posthumis palmam praeripit. Prodiit primum opera filii, Jo. Ern. Gerhardi, Jenae 1641 4. deinde ibidem 1660 ac tandem Hamburgi 1692 et 1709 cum praefatione Jo. Frid. Mayeri. Nec praetermittendae hic sunt Gerhardi nostri *Annotationes posthumae in epistolam Judae,* ut et *Annotationes in apocalypsin Joannis*, quas itidem filius Jo. Ernestus Gerhardus vulgavit. Adiungimus vel tandem *Glossam interlinearem Geneseos, prophetiae Danielis et apocalypseos Joannis,*

---

tarii plerisque aliis, qui in hanc evangelicae historiae partem scripserunt, utilitate aeque ac rerum copia anteponi mereantur.

*) In *Catalogo bibliothecae theologicae p. 285.*

insertam eximio operi biblico, quod *Ernestinum* itemque *Vinariense* alias appellari solet atque anno 1640. primum lucem adspexit publicam, deinceps vero plus simplici vice fuit recusum*). Atque haec sunt monumenta illa exegetica, quibus memoriam suam ad posteros propagavit Gerhardus. Licet vero illa hodie adhuc eruditis sint in pretio suaque se commendent utilitate, negandum tamen non est, *posteriores ipsius in hac sacrae eruditi nis parte labores, quoad diligentiam, iudicium, perfectionem, anteriores non exiguo intervallo post se relinquere, nonnullos etiam affectos tantum esse et forte in privatos usus tumultuarie chartae illitos, quos, si vixisset, ut sub ipsius nomine publici iuris fierent, nunquam fuisset permissurus,* prout recte iudicavit Jo. Fechtius**), magni nominis theologus.

Iam et de iis Gerhardi libris, qui theologiam cumprimis *dogmaticam* seu *theticam* tractant, aliquid dicendum nobis est. Praeter *locos* eius *theologicos,* de quibus supra copiose disseruimus, conscripsit quoque Gerhardus noster *Disputationes isagogicas, in quibus ea, quae in tomis, primo atque eius exegesi, et secundo locorum theologicorum uberius sunt exposita, in compendium rediguntur, quae vero praetermissa, complentur.* Prodierunt hae disputationes Jenae anno 1634. 4. atque ibidem denuo editae sunt anno 1645. et 1673. 4. In censum etiam hic veniunt eiusdem *Aphorismi succincti et selecti, in 23 capitibus totius theologiae nucleum continentes,* Jenae 1611 8. editi, atque ibidem, ut et Wittebergae subinde recusi, qui disputationes illas theologicas, quas b. auctor in gymnasio Coburgensi seorsim olim habuit***), complectuntur. Edidit porro vir laudatissimus librum sermone germanico exaratum, cui index: *Ausführliche schriftmässige Erklärung der beyden Artikel von der heiligen Taufe und von dem heiligen Abendmal etc.* Exiit ille in lucem Jenae 1610 4. et rursus Stutgardiae 1662 4. (et denique Berolini 1868 4.) atque inter scripta argumento huic illustrando inservientia principem locum tuetur. Talem vero in eo concinnando servavit ordinem, ut puriorem de baptismo et s. coena doctrinam e solis sacrae scripturae libris haustam proposuerit eaque codicis sacri loca, quae eidem adversari videri poterant, dilucide explicaverit, nulla dissentientium facta mentione. Exhibet proinde hocce scriptum specimen quoddam istius libri theologici, cuius elaborationem ipsi Heldburgi adhuc versanti demandaverat serenissima Saxoniae Princeps Christina†). Huic libro alium adiungimus eundemque catecheticum, hac insignitum inscriptione: *Frommer Hertzen geistliches Kleinod, d. i. Vier unterschiedene Tractaetlein, deren das erste begreift eine Erklaerung des Catechismi durch auserlesene Sprüche: das andere geistliche Gespraeche Gottes und einer glaeubigen Seele: das dritte Trostsprüche und Trostgründe in allerhand Noth: das vierdte die Litaney erklaeret.* Scriptus est hicce libellus plane egregius iussu Principis Vinariensis Guilelmi, qui et eundem suis sumtibus typis exscribendum curavit et Gerhardo nostro donum 35 ducatorum, honorarii loco, gratiosissime contulit††). Prodiit primum Luneburgi anno 1634. ac deinceps annis 1638. 1648. 1650. et 1715. 12. fuit recusus.

---

*) Haec biblia, quae inter *glossata* praecipuum tenent locum, vocari alias solent *Ernestina*, eo quod auspiciis summi principis, Ernesti *Pii*, Ducis Saxoniae, in lucem prodierunt. Vitam optimi huius principis egregie descripsit Elias Martinus Eyringius, editam Lipsiae anno 1704. 8. *Vinariensia* autem dicuntur ab oppido et sede Principum, qui Ernesto proxima cognatione erant coniuncti. Auctores, qui hunc vel illum sacrae scripturae librum in bibliis hisce Vinariensibus illustrarunt, recenset laudatissimus Eyringius *loc. citat. cap. 16.* Praecipuae vero in toto hocce opere recognoscendo atque corrigendo Gerhardi nostri fuerunt partes, cui laborum socii atque adiutores dati sunt Joannes Maior, Jo. Himmelius et Jo. Michael Dilherrus. Conferenda, quae hac de re diligenter disserit Fischerus, saepius am nobis laudatus, in *Vita Gerhardi p. 434 seqq.*

**) Vid. eius *praefationem*, quam *commentariis* Gerhardi, Arcularii atque Lenaei super *Acta apostolica* praemisit.

***) Vid. quae supra pag. VII. hanc in rem diximus.

†) Diximus hac de re supra *pag. VII.*

††) Vid. Fischerum *loco excitato p. 400.*

Pergimus ad scripta Gerhardi *polemica*, inter quae *Confessio* eius *catholica*, supra nobis laudata, primum praecipuumque locum tenet. Eximio huic operi adiungi merentur disputationes eius polemicae, quas separatim primum ventilatas in certa postea volumina congessit atque sub variis titulis in lucem publicam emisit. Pertinet huc eiusdem *Bellarminus orthodoxiae testis*, cuius supra iam fecimus mentionem. Pertinent huc porro eiusdem *Disputationes synopticae, in quibus dogmata papalia, iuxta seriem a Rob. Bellarmino observatam, succincte expenduntur*, Jenae 1620 8. Quin et huc commode refertur *Phosphori consideratio*, h. e *tredecim disputationes theologicae, libello pontificio sub titulo Phosphori ad claram divinae veritatis lucem perducentis non ita pridem vernacula lingua edito oppositae**), Jenae 1629 8. Ad controversias vero, quae nobis cum reformatae ecclesiae doctoribus intercedunt, spectat *Disputationum theologicarum, in quibus dogmata Calvinianorum iuxta seriem Marci Friderici Wendelini expenduntur, τεσσαραδέκας* etc. Jenae 1638 4. Quae quidem collectio quatuordecim dissertationes non ab ipso Gerhardo, ad eius tamen ductum a iuvenibus, qui respondentium munere functi sunt, conscriptas complectitur**). Agmen scriptorum polemicorum tandem claudat *Tractatus theologicus, in quo praecipua chiliasmi fundamenta solide destruuntur pariterque de Gog et Magog, item de universali Judaeorum conversione uberius disseritur.* Oppositum est hocce scriptum Henrico Gebhardo, cancellario tum temporis Rutheno-Gerano, qui varios libellos chiliasticos ediderat, ac post obitum demum auctoris ab eiusdem filio, Jo. Ernesto Gerhardo, luci publicae fuit expositum Jenae anno 1647. 4.

Ordo nos iam deducit ad ea Gerhardi scripta, quae ad excitandam alendamque pietatem sunt comparata. Ad hancce classem pertinent eiusdem *Meditationes sacrae, ad veram pietatem excitandam et interioris hominis profectum promovendum accommodatae.* Huncce exiguae molis libellum, omnium scriptorum theologicorum primum, evulgavit Gerhardus Jenae anno 1606. Quam egregie eiusdem lectio ad veram pietatem vitaeque sanctitatem lectores non tantum informet, sed et veluti trahat, experti sunt omnes, qui eundem debita cum attentione perlegerunt. Unde et omnes omnino viri pie docti eundem lectu dignissimum iudicarunt, prout ex testimoniis a Fischero adductis luculenter patet***). Quin et saepissime typis exscriptae sunt hae meditationes inque varias Europae linguas, germanicam cumprimis, gallicam, anglicanam, polonicam, suecicam, belgicam aliasque translatae†). Nec praetermittendum hic est *Exercitium pietatis quotidianum quadripartitum, peccatorum confessiones, gratiarum actiones, precationes et observationes complectens*, quod Coburgi 1612 latino et germanico sermone primum prodiit saepiusque deinceps fuit recusum. Adiungimus eidem aliud, cuius index est: *Schola pietatis, das ist, christliche und heilsame Unterrichtung, was für Ursachen einen jeden wahren Christen zur Gottseligkeit bewegen sollen* etc. Scopus b. auctoris in hocce libro fuit, resistere grassanti hominum securitati atque impietati falsaeque de fide operibus vacua opinioni, nec non abusui evangelii, seque ipsum atque alios, studiosam cumprimis iuventutem, ad indefessum pietatis studium excitare. Totum opus quinque absolvitur libris, qui singuli annis 1622. et 1623. separatim Jenae lucem adspexerunt publicam, in 12. Deinde vero coniunctim uno volumine comprehensi evulgati sunt iteratis vicibus, partim Jenae, partim vero Norimbergae. Nec defuerunt ex nostris theologis, qui praeclare de hocce scripto senserunt, ex quibus vel solum b. Spenerum††) hic commemorasse sufficiat. Praetermittimus Gerhardi nostri *Hodegum evangelicum* ad scholam

*) Vid. de hocce libro eundem Fischerum *loco citato p. 409 seqq.* et *p. 477 seqq.*

**) Hisce dissertationibus opposuit Wendelinus *Exercitationes theologicas vindices* etc. ut supra p. XVI. observavimus.

***) Vid. eius *Vitam Gerhardi p. 443 seqq.*

†) Vid. Fischerum *loco citato p. 444 seqq.*

††) Vid. *Consilia* eius *theologica latina p. 522.*

pietatis, iussu serenissimi Saxoniae Ducis Wilhelmi concinnatum, eiusdemque scripta *homiletica*, diligenter enumerata a Fischero *) saepius iam nobis laudato. Ex iis enim, quae modo diximus, satis intelligitur, Gerhardum cum systematica, in qua nemini secundus erat, theologiam, quam vocant, asceticam serio coniunxisse.

Ex reliquis Gerhardi scriptis duos duntaxat hic commemorabimus libellos, quorum alter rationem atque ordinem addiscendae theologiae praescribit, alter vero scriptorum ecclesiasticorum notitiae comparandae inservit.

Prior libellus ex publicis eius praelectionibus in academia Jenensi anno 1617. habitis enatus est titulumque *Methodi studii theologici* gerit. Prodiit primum Jenae a. 1620. 8. atque recusus fuit anno 1622. itemque 1654. Tribus hicce liber constat partibus; quarum prima *requisita* studii theologici *generalia* edisserit; altera *προπαιδείαν* studio theologico praemittendam exponit; tertia denique ipsum istius studii cursum dirigit, quem ad quinquennium revocat. Postremae, quam modo indicavimus, editioni praefixit Jo. Ernestus Gerhardus, filius, praefationem, in qua ostenditur, quinam b. parentis sui libri singulis spatii academici annis a doctrinae sanctioris cultoribus sint legendi. Multis theologorum nostrorum plurimum sese approbavit hicce libellus, ex quibus viros doctissimos Matthiam Hoë ab Hohenegg **), Abrahamum Calovium ***), Jo. Franciscum Buddeum †) atque Jo. Georgium Walchium ††) hic nominasse sufficiat. Et sane doctrina, prudentia, perspicuitate atque ordine sese plurimum commendat haec methodus a Gerhardo praescripta multaque suppeditat consilia theologiae cultoribus oppido salutaria, licet talem rerum apparatum, qui in recentioribus huius generis scriptis deprehenditur, haud praeferat eosque auctores, ex quibus proficere licet, subinde commendet, qui nostra hac aetate, praestantioribus scriptoribus abundante, vix amplius in censum veniunt.

Alter Gerhardi libellus, qui hic commemorari meretur, ad accuratam patrum scriptorumque ab iis confectorum notitiam comparandam viam pandit hacque insignitus est inscriptione: *Patrologia, sive de primitivae ecclesiae christianae doctorum vita ac lucubrationibus opusculum posthumum. Accesserunt de scholasticis ac historiae ecclesiasticae scriptoribus, tum aliis quoque recentioribus nonnullis iudicia varia etc.* Hocce Gerhardi nostri opusculum cura filii eius Jo. Ernesti Gerhardi anno 1653. primum prodiit in 8. deinceps aliquoties recusum. Ordo, quem b. auctor in eo servavit, ita est comparatus, ut in eo nihil iure desiderari queat. Consistit nimirum in eo, ut cuiusvis ecclesiae doctoris vitam, scripta laudesque tradat et maculas. Imperfectam tamen esse hancce tractationem inque privatos usus, collectaneorum ritu, a b. viro ex Bellarmino, Riveto et Coco adornatam, neutiquam vero eum in finem, ut aliquando luci publicae exponeretur, dudum iam monuerunt viri eruditi. Ipse quoque editor huius opusculi, Jo. Ernestus Gerhardus, in praefatione profitetur, *se amicorum persuasione et metu, ne ab aliquo alio fide non bona in lucem proferretur*, illud prelo tradidisse. Quae si rite expendantur, facile patebit, Jo. Andream Bosium, virum doctissimum, recte monuisse, *non satis caussae habuisse Labbeum, cur toties Gerhardum plagii incusaret tamque acerbo sale, quoties illius meminit, optimum virum perfricaret* †††). Profecto longe alia facie in lucem publicam prodiisset hicce libellus, si viro beato ultimam huic labori imponere manum licuisset. Auctiorem quidem atque emendatiorem hunc librum altera editione

*) *loco excitato p. 456 seqq.*

**) In *Litteris ad Gerhardum datis* apud Fischerum *p. 384.*

***) In *Isagog. theol. libr. 2. p. 10.*

†) In *Isagog. ad theol. univers. p. 7.*

††) In *Biblioth. theol. select. tom. 1 p. 5.*

†††) Vid. laudatissimi Bosii *Introductionem in notitiam scriptorum ecclesiasticorum cap. 3. §. 32. p. 90.* edit. cel. Walchii. Add. Jacobi Friderici Reimmanni *Catalogum bibliothecae theologicae systematico-criticum p. 124.*

datarum se filius promiserat, observante Fischero*), sed morte praematura impeditus conata exsequi haud potuit. Supplere quoque huncce Gerhardi laborem voluit Jo. Gottfridus Olearius in *Abaco patrologico*, Jenae 1673 typis exscripto. Quum vero et hic liber magna adhuc laboraret imperfectione, novam eius editionem eandemque multis accessionibus adauctam adornavit auctoris filius, Jo. Gottlieb Olearius, antistes Arnstadiensis, quae sub titulo: *Bibliotheca scriptorum ecclesiasticorum*, Jenae 1711 4. cum praefatione Jo. Francisci Buddei, lucem adspexit publicam.

Scriptis Gerhardi accensendae quoque sunt eiusdem *Disputationes theologicae*, diversis temporibus editae. Sunt ex iis, quas separatim primum excusas in certa deinceps volumina congessit. Sunt vero aliae, quae hodienum seorsim prostant certisque disputationum voluminibus nunquam fuerunt insertae. Quae ad priorem classem pertinent, sunt sequentes: *I) Decas disputationum theologicarum, in quibus gloria Dei per corruptelas pontificias, calvinianas et photinianas labefactari ostenditur.* Jenae 1618 4. II) *Hexadecas disputationum theologicarum, in quibus studium verae et sincerae pietatis per pontificias, calvinianas et photinianas doctrinae coelestis corruptelas labefactari ostenditur.* Jenae 1622 4. III) *Disputationum theologicarum a Jo. Gerhardo in academia Jenensi conscriptarum et publice habitarum, pars I et II.* Jenae 1625 8. IV) *Disputationes synopticae*, supra *p. XXI* iam recensitae. V) *Εἰκὰς disputationum theologicarum, in quibus dogmata papalia iuxta seriem Bellarmini ἐπιτομικῶς expenduntur.* Jenae 1629 4. VI) *Disputationum theologicarum in academia Jenensi conscriptarum et publice habitarum partes tres, quarum duae priores antehac seorsim lucem adspexere, tertia vero iam nunc demum accessit.* Jenae 1655 4. Duae priores partes eas complectuntur dissertationes, quas vir beatus ipse, dum adhuc in vivis esset, collegit atque evulgavit, nosque supra *numero III* indicavimus; tertia vero continet viginti disputationes Bellarmino oppositas *numero V* a nobis commemoratas. VII) *Tredecim disputationes libello pontif. sub tit.* Phosphori *edito oppositae*, quarum supra *pag. XXI* iam fecimus mentionem. VIII) *Bellarminus ὀρθοδοξίας testis*, supra *pag. XVII.* a nobis laudatus. IX) *Disputationes isagogicae* et X) *Disputationes Anti-Wendelianae*, quas itidem supra iam recensuimus. Reliquarum dissertationum separatim etiamnum exstantium syllabum dedit Fischerus**), nec instituti nostri brevitas permittit, ut eundem cum lectoribus nostris hic communicemus.

Praetermittimus quoque *orationes* a Gerhardo nostro habitas typisque exscriptas, itemque *praefationes*, quibus aliorum libros ornavit, codicesque manu ipsius scriptos, qui in bibliotheca Gothana asservantur, de quibus omnibus copiose disseruit Fischerus***). Praetermittimus denique dissertationes eius *philosophicas*, ex quibus nonnullas supra iam laudavimus†). Hoc tantum paucis hic notamus, Gerhardum nostrum in peculiari tractatu *de fraudibus pseudo-chymicorum* egisse††) magnamque eiusdem manibus iniuriam intulisse Arnoldum, qui ex libro quodam perperam Gerhardo nostro adscripto comprobare annisus est, eundem partibus Rosae crucianorum fuisse addictum sibique revera persuasisse, lapidem philosophorum non esse fictam et commentitiam fabulam†††).

---

*) In *Vita Gerhardi p. 473.*

**) In *Vita Gerhardi p. 481.*

***) *loco citato p. 483 seqq.*

†) Vid. supra *p. VI. seqq.* Add. Fischerum *loco excitato p. 380 seqq.*

††) Testatur hoc ipsemet Gerhardus noster *tom. 6. locorum theologicorum loco de magistratu* §. *428.*

†††) Vid. Godofredi Arnoldi *Unpartheyische Kirchen- und Ketzer-Historie*, *tom. 2. libr. 17. cap. 18.* §. *23. p. 253* edit. in fol. quae Scaphusiae 1741 lucem adspexit publicam. Provocat ibidem Arnoldus inter alia ad *Exercitationes* Gerhardi *in Gebri*, *chymici Arabici*, *libros summae perfectionis*, in quibus de metallis eorumque mutatione ac perfectione, de lapide quoque philosophorum agatur, itemque *analysin* eius super Lullii *partem practicam*, qui libri Tubingae coniunctim prodierint. Verum turpiter hic errat Arnoldus aliumque cognominem cum b. Gerhardo Jenensi confundit, quem ab eo accurate distinguendum esse, condocet Jo. Mollerus in *Homonymoscopia cap. 7.* §. *47. p. 677.* Nimi-

Ceterum librorum, quos Gerhardus noster conscripsit, multitudo non obstitit, quominus is frequens cum summis suae aetatis doctissimisque viris institueret litterarum commercium. Insignem profecto virorum eruditorum, cum quibus Noster per litteras collocutus est, catalogum exhibet Fischerus*), quem saepius iam laudavimus. Quin amplius decies mille epistolas ad viros principes doctosque exarasse beatum parentem suum, testis est eiusdem filius, Jo. Ernestus Gerhardus**).

Atque haec sunt praecipua momenta ad vitam et fata et scripta theologi celeberrimi, Joannis Gerhardi, spectantia, ex optimis documentis decerpta, quae praefaminis loco hic indicare voluimus.

---

rum is, qui *exercitationes in Gebrum* modo allegatas edidit, fuit Jo. Gerhardus, Stuttgardianus, artis salutaris doctor eiusdemque in academia Tubingensi professor, atque archiater Würtembergicus, anno 1657. fatis functus. Scripta eius chymica recensuit Petr. Borellus in *Bibliotheca chemica p. 98.* Martinus Lipenius in *Bibliotheca medica f. 249* atque Fischerus in *Vita Gerhardi p. 330.* Conferri quoque meretur *Programma ejus funebre* Tubingae 1658 editum.

*) In *Vita Gerhardi p. 498—501.*

**) In *Epistola dedicatoria commentorii* parentis *super Genesin.* Nonnullas Gerhardi nostri epistolas eiusdem *vitae p. 502 seqq.* subiunxit Fischerus.